BIBLIOTECA NAZ.le
110
A
15
NAPOLI

110
a.
15.

83
N
55

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CATULLUS
TIBULLUS
ET
PROPERTIUS

Ex recenſione

JO: ANTONII VULPII

Cum Notis Selectioribus
et indice locupletiſſimo.

TOMUS III.

BIBLIOTECA NAZIONALE

VENETIIS MDCCLXXXVI
Apud Thomam Bettinelli

Cum Facultate ac Privilegio.

B. R. NEAPOLIS

Digitized by Google

Digitized by Google

EDITORES

AD LECTOREM.

C. *Valerio Catullo, Albioque Tibullo jam editis, Sextum Propertium adjungimus, ætate quidem utroque inferiorem, Elegiacæ vero Poeseos laude vel superiorem, vel certe parem. Nam, quemadmodum, doctissimorum virorum judicio, longe Catullo antistat tum suaviore carminum, ac numerosiore textura, tum imaginum venustate, & copia, tum argumentorum varietate, tum reconditiore etiam eruditione, atque doctrina Propertius: sic quoque Tibulli laudes, quamvis justæ illæ sint, atque exaggeratæ, numquam tamen ejusmodi esse possunt, ut illius luminibus obstruxisse videantur. Quintiliano quidem tersus maxime, & elegans Elegiarum auctor videtur Tibullus: sed non minus nitidus, blandique Propertius oris. Omnes ille varios, multiplicesque motus, quos animis hominum penitus inustus amor gignit, & excitat, eo colorum tractu, ea simplicitate, ea rerum veritate effingit, & ex-*

Digitized by Google

primit, ut in omnibus exstet, emineatque ipsius effigies naturæ. Atqui eamdem ipsam non minus vivide, ingenueque noster hic pingit, & exhibet, omnesque æstus, affectuumque vicissitudines sine fuco, atque fallaciis, non tamen sine gratiis, sub oculos ponit, dum Elegos decantat, &

Impositus sævo Veneris torretur aheno,

ut non Quintiliani solum temporibus, sed nostris etiam multi sint (a), *qui Propertium malint. Sed in hac summorum inter se duorum Poetarum comparatione, in qua contraria sibi sunt, olimque fuerunt eruditorum judicia, vere mihi videor esse dicturus, utrumque ad similem in hoc scribendi genere laudem, gloriamque grassatum fuisse, diversa tamen paullulum via; utrumque perfectissimum esse in forma operis sui, licet in ipsa forma dissimilitudo sit aliqua. In Tibullo enim nihil elaboratum industria, nihil longe accersitum ingenio reperias: plana omnia, exque naturæ sensu hausta, ac derivata, eaque molli versu, omniumque leporum suavitate condito apte, decenterque conclusa ita, ut, quod maximæ tamen artis est, ars omnis, studiumque in recessu sit, & nusquam appareat. Nihil in Propertio non excultum studio, atque politum: mira rerum omnium eruditio, atque doctrina; mira inge-*

(a) V. Encycl. Art. *Elegie*.

nii vis, atque fœcunditas in efformandis, repræsentandisque imaginibus occurrit semper, & eminet: sed, quod acerrimi judicii est, eam moderationem, temperationemque artis servat ubique, ut numquam a veritate, numquam a simplicitate naturæ aut affectatione eruditionis, aut imaginandi licentia, aut ingenii lascivia recedat. Græcis literis innutritus, Græcos non semel modos, formasque dicendi in Latinam linguam transtulit, eamque novis opibus locupletavit. Philetæ in primis, Callimachique studiosissimus imitator, quos duos in Elegiaca Poesì longe principes Græcia habuit, non intra amatorios lusus, ineptiasque dumtaxat ipsam coercuit, sed ad heroica quoque, & historica, aliorumque generum diversissimorum argumenta produxit, ea spiritus magnificentia, tam beata verborum, sententiarumque copia, ut in illis pertractandis ad Virgilianam majestatem interdum assurgere, rerumque granditatem carminum sono, & styli dignitate penitus illum exæquasse omnes fateantur, qui in ejus sunt lectione versati. Optimum, elegantissimumque Latinitatis auctorem, suavissimum, maximumque Poetam, omnigenaque eruditione refertissimum quemadmodum veteres summo semper in pretio, & in deliciis habuerunt, sic post renatas literas doctissimi quique certatim illustrare conati sunt; vel difficiliorem aliquem ex

ejus libris locum explanando, corruptumque, ac fœdatum emendando, vel justis Commentariis incredibili labore, ac diligentia contextis universa ejus carmina explicando, interpretandoque. Hunc eumdem typis nostris excusum, ut tibi exhiberemus integrum, & quam maxime emendatum, veræque lectioni restitutum, eorum industria usi sumus, editionem Cl. Vulpii præcipue secuti, qua nulla adhuc castigatior prodiit & elegantior. Notas etiam quasdam ad loca quædam difficiliora, & obscuriora adjecimus, ut & facilior eorum intelligentia esset minus, si qui sunt, eruditis, & ne ultra modum voluminis moles excresceret. Tu nostras qualescumque curas, atque labores æqui, bonique consule, Lector benevole, & animos, stimulosque adde indulgentia tua majora in posterum suscepturis.

Digitized by Google

JO. ANTONIUS VULPIUS

DE VITA

PROPERTII.

SEX. AURELIUM PROPERTIUM in ea Umbriæ regione natum fuisse quæ fines Etruriæ proxime contingit, certo scimus: id enim ex Elegiarum ipsius testimonio satis constat. Cuinam tamen Umbriæ oppidorum quæ adhuc supersunt egregius hic civis adjudicari debeat, omnino incertum est. Rem dubiam faciunt celebres doctorum virorum controversiæ atque opiniones; videlicet Philippi Beroaldi, Flavii Blondi, Petri Criniti, Lilii Gregorii Gyraldi, Leandri Alberti, Josephi Scaligeri, Casparis Scioppii, Justi Lipsii, Joannis Passeratii, Thaddæi Donnolæ, Diomedis Montesperellii, Francisci Caroli Corradi, aliorum. Plerique Mevenatem, ex Mevania scilicet Umbriæ oppido,

fuisse contendunt; & his manu scripti codices favent: Ameriam alii, nonnulli Assisium, Hispellum aliqui, vel Fulginium, vel Falcum, vel Spoletium, vel Perusiam, ejus patriam faciunt. Ego vero implexa hujusmodi spineta atque odiosa prorsus declinare statui: neque enim mihi argumenta quæ singuli attulerunt, per otium considerare licuit. Non erat hæc scriptio paucarum literarum: singulare ac justum volumen sibi postulabat: me autem diuturno Propertianæ hujus Editionis labore defessum, requiem spectare, ac manum de tabula aliquando tollere oportebat; ne volumini etiam moles adderetur, non sine emtoris & lectoris fastidio. Præterea, iniquum fortasse fuit, ab homine alieno caussas Umbrorum disceptari; quibus vel ingenium superat, quo sua quique jura strenue defendant; vel animi moderatio, ad hæc minus utilia relinquenda. Si enim *Propertius* Umber est, ut certe est, cur ejus natalium gloria, civilibus rixis compositis, in omnes pariter Umbros derivari non possit? Moneo tamen eruditos, tum demum veram Poetæ nostri patriam detectum iri, quum primum Inscriptio vetus aliqua exstiterit, quæ nos doceat,

ex quo Umbriæ municipio fuerit Passiena familia. Sane pervulgata sunt quæ scribit Plinius Cæcilius Epist. 15, lib. 6. *Passienus Paullus splendidus eques Romanus, & in primis eruditus, scribit elegos. gentilitium hoc illi.* (*al.* gentilium) *Est enim municeps* Propertii, *atque etiam inter majores suos* Propertium *numerat*. Fortasse mater Passieni Paulli ex *Aurelia* municipali familia originem duxerat. Hisce igitur in præsens omissis, de nomine & cognomine *Propertii* dicamus. Aurelia gens Romæ, ut viri docti consentiunt, plebeja quidem fuit, si primum illum delectum spectemus, quo Romulus, & alii Romani reges, a reliquo populo patricios distingui voluerunt; sed nihilominus curulibus magistratibus postea gestis valde nobilitata. Dividitur ab Historiæ peritis in familias tres; Cottarum, Orestum, Scaurorum. Hæ singulæ viris illustribus floruere, quibus reipublicæ dignitas prima semper fuit, potiorque vita ipsa. Nihil autem *Propertio* nostro, equiti municipali, cum senatoriis hisce familiis: quamobrem neque honores adeptus est, atque ab iis petendis abstinuit. *Jacere semper* eum *voluit fortuna*: id ipse Tullo patrono suo narrat, Cynthiamque

suam allocutus, *neque* se *sanguine avito nobilem*, neque *triumphos ullos* majorum ostentare posse, libenter fatetur. Quæ non ita sunt accipienda, ut putemus, eum domi obscuro genere, atque ex plebe media fuisse. Immo, quum pars illa Umbriæ in qua natus est, Etruriæ fines proxime attingeret, conjecturæ locus esse videtur, majores ejus non claro solum, sed, si diis placet, regum etiam Etruscorum sanguine generatos. Hanc suspicionem injicit Servius ad versum DCXCVII Libri VII Æneidos. ejus verba sunt: *Hos* (Capenates, seu Capenos, Tusciæ populos) *dicit Cato Vejentum condidisse auxilio regis* Propertii, *qui eos Capenam; quum adolevissent, miserat*. Fuit autem *Propertius* ille, ut videtur, rex Etruscorum antiquissimus: Vejentum porro, seu Veji, urbs ampla in Etruria & magnifica, Romæ ipsius quondam æmula, quam post decem annorum obsidionem, vir fortissimus M. Furius Camillus diruit, ac solo æquavit. Poeta noster iccirco, domesticæ gloriæ quasi admonitus, non sine sensu doloris exclamat Eleg. x Libri IV.

Et Veji veteres, & vos tum regna fuistis;
Et vestro posita est aurea sella foro.

Utinam exstarent libri Originum a M. Porcio Catone conscripti: hæc omnia, nunc satis dubia & obscura, in aperto loco & propatulo sita essent. Quod autem suspicari fas est de *Propertio* nostro, eum scilicet quamvis privatum hominem, regum tamen satu editum, id Silius Italicus, Libro XII Punicorum, v. CCCXCIII, de Romanorum poetarum patre Ennio plane affirmare non dubitavit:

Ennius antiqua Messapi ab origine regis.

Calaber Ennius fuit: Messapus in Calabris regnavit. Hac etiam fortasse de caussa *Propertius* tantopere optaverat in C. Cilnii Mæcenatis clientela & comitatu esse: homo scilicet Etrusca origine ac generosa, potentissimi & nobilissimi viri amicitiam & consuetudinem sibi expetebat, qui & ipse Etruscum genus & regium, sine mendacio, profitebatur.

De tempore natalium Poetæ nostri, apud Chronicorum scriptores οὐδεὶς λόγος. Facilis tamen conjectura, fuisse annum Conditæ Urbis DCXCVI, L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio COSS. quo anno M. Tullio Ciceroni igni & aqua interdictum est. Id colligimus ex verbis ipsius *Propertii*, qui Eleg. I Libri IV infortu-

nia Poetæ sic memorantem genethliacum inducit:

Oſſaque legiſti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipſe Lares.
Nam tua quum multi verſarent rura juvenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opes.
Mox ubi bulla rudi dimiſſa eſt aurea collo,
Matris & ante deos libera ſumta toga:
Tum tibi pauca ſuo de carmine dictat Apollo,
Et vetat inſano verba tonare foro.

Narrat, ſe, quum adhuc puer eſſet, orbatum patre, ſpoliatumque paternis opibus triſtiſſima illa tempeſtate, qua poſt Philippenſe bellum prædia Itala veteranis Auguſti militibus demenſa & diſtributa ſunt. Auream deinde bullam quæ pueros ingenuos a ſervis & libertinis diſcernebat, ſe diis Penatibus ſuſpendiſſe, ſcribit, virilemque togam ſumſiſſe. Quæ quidem veſtis mutatio fieri ſolebat anno ætatis XVII, vel etiam XV. Sed primum potius de *Propertio* ut credamus, id argumentum ſuadet, quod ſtatim a prætexta depoſita ad Muſarum otium ſe contulit adoleſcens, relicto fori tumultu, & cauſſidicorum clamoribus contemtis; & ideo grandiuſculum fuiſſe oportet, qui ad fingendos ele-

gos ingenium & calamum admoveret. Procul enim aberant veteres illi omnium elegantiarum promicondi ab hac barbarorum hominum sententia, quæ nunc obtinet: poetica studia ludicra & puerilium tantum annorum oblectamentum esse. Constat autem, divisionem agrorum quæ jussu Augusti facta est, in annum ab Urbe Condita DCCXIII incidisse; a quo si anni XVII retrorsum numerentur, inveniemus, *Propertium* COSS. quos diximus in lucem editum. Hæc fere Janus Douza Schediasmate succidaneo in Tibullum.

Poetæ hujus nostri pater videtur fuisse *Sex.* ille *Propertius*, cujus nomen delatum eo tempore quo P. Clodius tribunus plebis rempublicam seditionibus miscebat, civiumque locupletium bonis inhiabat, queritur Cicero in Oratione pro Domo sua. Non ita multo post a patris interitu matrem quoque, apud quam educatus fuerat, amisit; sic enim ad Cynthiam:

Oſſa tibi juro per matris, & oſſa parentis;
(Si fallo, cinis heu ſit mihi uterque gravis)
Me tibi ad extremas manſurum, vita, tenebras.

Ope ingenii, & facultate scribendi carminis, Mæcenatis patrocinium & amicitiam consecu-

tus est; cujus hortis in Esquilina regione positis proxime habitavit. Mirum autem cur nec Horatium *Propertius*, nec *Propertium* Horatius ullo in loco poematum suorum, mutuo benevolentiæ pignore, nominaverit; quum tamen in eodem conturbenio vixerint, eidem patrono cari. Sed enim quotidie verum experimur illud Hesiodeum: κεραμεὺς κεραμεῖ. Testatur vetus Auctor Vitæ Virgilii, poetas qui Augusto imperante floruere, adeo inter se non amavisse, ut omnes aliorum laudi atque gloriæ maxime inviderent: unum Virgilium, ob naturæ bonitatem prope singularem, omnibus probari & placere potuisse. Ejus Auctoris verba sunt: *Quare coævos omnes poetas ita adjunctos habuit* (Maro), *ut quum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent*; *Varius*, *Tucca*, *Horatius*, *Gallus*, Propertius. Ecce invidos homines etiam Horatium & *Propertium*. Non enim excellens ingenium & rarum præstantes viros invidentium numero semper eximit: sed plerique laude sibi debita non contenti, eminere volunt inter omnes in omni genere scribendi, æmulum pati nequeunt, graviter indignantur, si quis parem gloriam vel affectet, vel assequatur. Ho-

ratius, quamvis hac ærugine aliquantum infectus, Virgilium summopere dilexit: eique optimam indolem, candidos mores, ingenium ingens, denique pastoralis & agrestis Musæ palmam tribuere non dubitavit. (Sat. x Lib. I.)

Molle, inquit, *atque facetum*
Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camœnæ.

Propertius vero miris laudibus eumdem extollit Elegia ultima Libri secundi. Mihi videtur garrulus ille, quem sibi Via-Sacra deambulanti venisse obviam, & lateri moleste adhæsisse, scribit Venusinus poeta Sat. IX Libri I, *Propertius* noster fuisse: id quod non infirmis omnino argumentis conjicere licet. Hominem sane scribendis carminibus aptum hæc ipsius verba demonstrant:

Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus?

amatorculum vero, & deliciarum studiosum ea quæ sequuntur continuo: *quis membra movere Mollius?* Atqui *Propertius* Eleg. IV Libri II, hoc de se aperte confessus est:

Nequiquam perfusa meis unguenta capillis:
Ibat & expenso planta morata gradu.

Digitized by Google

ut nimirum Cynthiam suam imitaretur, cujus *pedes molliter ire solebant*. Adde, quod fama istius loquaculi Romam impleverat: propterea Horatius ait: *Notus mihi nomine tantum*. Superbia *Propertii* poetica, qua se *Romanum Callimachum* appellavit (ut alia plura hujus generis missa faciam) in illis apparet: *Noris nos*, *inquit*: *docti sumus*. Et mox, quum ex Horatio de Mæcenate sciscitatus fuisset, cujus familiaritatem affectabat, hæc subjungit:

Haberes
Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
Submôsses omnes.

Interrogatus vero a Flacco: *Est tibi mater*, *Cognati*, *quîs te salvo est opus?* ita respondet: *Haud mihi quisquam: Omnes composui*. Quæ omnia Poetæ nostri moribus & infortuniis, de quibus superius locuti sumus, conveniunt mirum in modum. Sed illa quoque animadvertenda sunt. Horatius Sat. x Libri I, quo loco amicorum nomina recenset, quibus velit sua poemara placere, *Propertium* omittit. *Simium* vocare videtur eadem Satyra, fortasse quod Poeta noster in ejus imitatione plurimus esset;

id autem ex locorum collatione manifestum. De *Propertio* quoque dictum arbitror:

Nil præter Calvum & doctus cantare Catullum.

Non semel in Elegiis *Propertii* Calvus & Catullus memorantur, & alter alteri adjungitur. Denique Horatius Epistola II Libri II, Propertium *videtur Callimachum vocare per ludum & jocum.* (utor verbis Joannis Passeratii ad Eleg. I Libri III.)

Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus;
Fit Mimnermus, & optivo cognomine crescit.

Dixerat nimirum *Propertius* Eleg. IX Libri I,

Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.

Eo tempore ad Mæcenatem uterque ventitabat, & alter alteri sua legere solitus erat: neque tamen quasi per cuniculos inter se obtrectare desinebant. Nondum a me impetrare potui, ut hanc suspicionem ponerem: de cujus tamen audacia & novitate doctiores judicabunt.

Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit.
Sed, quæ non prosunt singula, multa juvant.

&, ut eleganter P. Syrus:

Auxilia humilia, firma consensus facit.

Digitized by Google

Huc pertinent verba Quintiliani lib. 5 Instit. Orat. cap. 12. *Firmiſſimis argumentorum ſingulis inſtandum, infirmiora congreganda ſunt: quia illa per ſe fortia, non oportet, circumſtantibus obſcurare, ut, qualia ſunt, appareant: hæc imbecilla naturâ, mutuo auxilio ſuſtinentur. Itaque ſi non poſſunt valere, quia magna non ſunt, valebunt, quia multa ſunt, quæ ad ejuſdem rei probationem omnia ſpectant.* Cui præiverat M. Tullius in Partitionibus Oratoriis: *Veriſimilia autem*, inquit, *partim movent ſuo pondere, partim etiam ſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen, quum ſunt coacervata, proficiunt.* Et lib. II de Nat. Deor. *Quæ ſi ſingula nos forte non movent, univerſa certe inter ſe connexa, atque conjuncta movere debebunt.*

Gallo cuidam, viro nobili, amoribus dedito, nec non Tullo conſularis familiæ, qui plures in Urbe foriſque magiſtratus geſſit, gratiſſimus fuit *Propertius*. Ovidium, Ponticum, Baſſum poetas, æquales ſuos, familiariter dilexit; quorum judicia, ſi quid populo recitaturus eſſet, prius experiri conſueverat. Hoſtiam puellam, ſummo genere natam, quam, vero nomine diſſimulato, CYNTHIAM dicere maluit, ut ab Appu-

Appulejo accepimus, immodice amavisse videtur. Hanc omnibus naturæ artisque dotibus ornatam nobis describit, a Musarum præcipue sacris non abhorrentem. Qui vero Propertium una Cynthia contentum credidere, Elegiam illam (XXII Libri II.) satis considerasse non videntur, qua se multis amoribus obnoxium, & cujuslibet formæ mulierum spectatorem elegantissimum sincere admodum profitetur. Quod postea carmen imitatus est Ovidius (Eleg. IV Libri II Amorum); ut & alia innumera hujus Poetæ. Suspicari tamen licet, eum in argumento ficto, & elegis conveniente, sæpius lusisse. Octaviano Cæsari non semel blanditus est, immemor puto injuriarum, quas ab ipso & militibus ejus acceperat, maximique Principis gratiam obsequio carminis aucupatus, Callimachum & Philetam e Græcis, Tibullum & Virgilium e Romanis ad imitandum sibi proposuit; quod ne quis forte a me temere affirmari putet, consulat Animadversiones nostras ad Elegiam XI, & XVI Libri III. Ceterum gloriam Elegiæ ex Græcorum fontibus Romam primum deductæ sibi falso tribuit, quum ante illum Catullus id tentavisset magno successu. Helladem

certe omnem depopulatus, transmarino sale scripta sua condivit, veterum fabularum, uti apparet, studiosissimus. Credibile est, Ovidium ad Fastorum libros, & Heroidum epistolas conscribendas *Propertii* lectione excitatum; praeivit enim Poeta Umber pluribus Elegiis quarti Libri, & elegantissima illa epistola Arethusae ad Lycotam: nec audiendus hac in re Nicolaus Heinsius, qui contrariam omnino sententiam tuetur. Quamquam autem vires ingenii sui consulto extenuat, magno tamen spiritu, & heroicis aptissimo praeditus fuit: cujus rei fidem faciunt ea quae de antiquitatibus Urbis Romae, de Augusti victoriis, & de Cornelia matrona Paulli censoris uxore, magnifico verborum apparatu, & numeris Elegiae modum excedentibus erudite cecinit. Nonnulli, ut testatur Quintilianus, *Propertium* Tibullo in Elegia praeposuere. Passienus quoque Paullus, gentilis ejus, carmine scribendo, si Plinium Caecilium audimus, ab ipsius vestigiis ne latum quidem unguem discessit.

Iratus amoribus suis, quod non ex sententia succederent, Athenas petere decrevit: an vero profectus fuerit, incertum est. Fortasse ultimam

senectutem exegit in studiis illis, quibus se operam daturum ætate ingravescente, olim significaverat. Etenim Douzæ existimanti juvenem decessisse, quod se amicæ a genuum virore semper commendaverit, assentiri non possum: quasi vero necesse fuerit, eumdem illi scribendi ac vivendi terminum esse. Magis movet Ovidii auctoritas, qui Libro II Tristium v. CCCCLXV *Propertium* vita functis annumerare videtur:

Invenies eadem blandi præcepta Properti;
Districtus minima nec tamen ille nota est.
His ego successi, quoniam præstantia candor
Nomina vivorum dissimulare jubet.

Ovidius porro quum in Ponto ageret, annos L natus erat. Idem initio Ibidis, quod poema in exsilio composuit:

Tempus ad hoc lustris mihi jam bis quinque peractis,
Omne fuit Musæ carmen inerme meæ.

Quinquagesimus autem annus Nasonis, erat annus ab U. C. DCCLXI, ortus enim fuerat anno DCCXI. Si eo tempore *Propertius* vixisset, annorum fuisset LXV. Exploratum mihi non est, an *Propertius* ille *Celer*, *prætorius*, cui Tiberius Cæsar *veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus est, satis comperto paternas*

ci angustias esse, uti refert Cornelius Tacitus Libro Annalium 1; Poetæ huic nostro propinquitatis vinculis conjunctus fuerit. Hæc erant quæ historica fide, aut probabilibus conjecturis afferre potui de Propertio. Si quis Milesiis fabellis, aut Romanensibus delectatur, eæ præsto sunt: namque hoc tempore *quasi herba irrigua succreverunt uberrime*.

Digitized by Google

SELECTA CLARORUM VIRORUM

DE

SEX. AURELIO PROPERTIO

TESTIMONIA ET JUDICIA;

Magnam partem a JANO BROUKHUSIO collecta.

P. Ovidius Naso Lib. 3 Artis Amator.

ET teneri possis carmen legisse PROPERTI:
Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum.

Idem Remed. Amor.

Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli?
Vel tua, cujus opus CYNTHIA sola fuit?

Idem Lib. 2 Tristium.

Invenies eadem blandi præcepta PROPERTI:
Districtus minima nec tamen ille nota est.

Idem Lib. 4 Trist. Eleg. 10.

Sæpe suos solitus recitare PROPERTIUS ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

. . . .

Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Succeſſor fuit hic tibi, Galle, PROPERTIUS illi:
Quartus ab his, ſerie temporis, ipſe fui.

Idem Lib. 5 Triſt. Eleg. 1.

Aptior huic Gallus, blandique PROPERTIUS oris,
Aptior ingenium come Tibullus erit.

M. Fabius Quintilianus Lib. 10 Inſtit. Orat. C. 1.

Elegia Græcos quoque provocamus: cujus mihi terſus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui PROPERTIUM malint. Ovidius utroque laſcivior: ſicut durior Gallus.

M. Valerius Martialis Lib. 8, Epigr. 73.

Cynthia te vatem fecit, laſcive PROPERTI:
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.

Idem Lib. 14, Epigr. 189.

Cynthia facundi carmen juvenile PROPERTI
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

Digitized by Google

P. Papinius Statius Lib. 1, Silv. 2.

Date carmina festis
Digna toris: Hunc ipse choro plaudente Philetas,
Callimachusque senex, Umbroque PROPERTIUS antro
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis
Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus.

C. Plinius Cæcilius Secundus Lib. 6, Epist. 15.

Passienus Paullus, splendidus eques Romanus, & in primis eruditus, scribit elegos. Gentilitium hoc illi: est enim municeps PROPERTII, atque etiam inter majores suos PROPERTIUM numerat.

Idem Lib. 9, Epist. 22.

Magna me sollicitudine affecit Passieni Paulli valetudo, & quidem plurimis justissimisque de caussis. Vir est optimus, honestissimus, nostri amantissimus: præterea in literis veteres æmulatur, exprimit, reddit, PROPERTIUM in primis, a quo genus ducit; vera soboles, eoque simillima illi in quo ille præcipuus. Si elegos ejus in manum sumseris, leges opus tersum, molle, jucundum, & plane in PROPERTII domo scriptum.

L. Apulejus Apolog.

Hic illud etiam reprehendi animadvertisti, quod quum aliis nominibus pueri vocentur, ego eos Charinum & Critiam appellitarim. Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit: & Ticidam similiter, quod, quæ Metella erat, Perillam scripserit: & PROPERTIUM, qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet: & Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.

L. Cæcilius Lactantius Firmianus Lib. 2 Divin. Instit. C. 6.

Romulus urbem conditurus, pastores, inter quos adoleverat, convocavit. quumque is numerus condendæ urbi parum idoneus videretur, constituit asylum. Eo passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique, sine ullo conditionis discrimine. Ita conflavit ex his omnibus populum; legitque in senatum eos qui ætate anteibant; & Patres appellavit, quorum consilio gereret omnia. De quo senatu PROPERTIUS Elegiarum scriptor hæc loquitur:

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato sæpe senatus erat.

C. Sollius Apollinaris Sidonius, Arvernor. Episc. Lib. 2, Epist. 10.

Certe si præter rem oratoriam, contubernio feminarum, poeticum ingenium, & oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam, quereris obtundi, reminiscere quod sæpe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum PROPERTIO, Delia cum Tibullo.

Diomedes Grammaticus Lib. 3, C. 6.

Quod genus carminis (*Elegiam*) præcipue scripserunt apud Romanos PROPERTIUS, & Tibullus, & Gallus, imitati Græcos Callimachum, & Euphorionem.

Angelus Politianus Nutric.

Ut tersi memorat pia Musa Tibulli,
Musa sibi primos quæ jure adsciscat honores
Imparibus numeris, ni blanda PROPERTIUS ora
Solvat, & ambiguam faciat certamine palmam.

Blondus Flavius Lib. 1 Italiæ illustratæ, regione quarta.

E regione Trivii amœno in colle Falcum est oppidum, haudquaquam vetusti nominis, sed populo

Digitized by Google

frequentatum. Ad collisque illius radices in via olim Flaminia est Mevania, de qua Livius in IX. *Decius Cos. magnis itineribus ad Mevaniam, ubi tum copiæ Umbrorum erant, perrexit*. Fuitque id oppidum cive ornatum PROPERTIO AURELIO, qui de se ipso scribit ad Tullum libro Monobiblo, vel, ut Nonio Marcello placet, libro Elegiarum:

Proxima suppositos contingens Umbria campos
Me genuit terris fertilis uberibus.

Idemque in Elegiarum quarto:

Umbria te notis antiqua penatibus edit:
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ,
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus æstivus intepet Umber aquis?

Joannes Jovianus Pontanus Lib. 1 Amorum.

O utinam & nostri fugiant nigra fata libelli,
Et sit perpetuo non sine honore rogus!
O si post cineres & me quoque jactet alumnum
Umbria carminibus non inhonora meis!
Umbria Pieridum cultrix, patria alta PROPERTI,
Quæ me non humili candida monte tulit.
Vigia quem gelidis placidus circumfluit undis,
Et Nar sulphureis fontibus usque calens.

Digitized by Google

Petrus Crinitus Lib. 3 de Poetis Latinis, C. 43.

Sex. Aurelius Propertius ex Mevania oppido oriundus, quod in Umbria est, ut ipse auctor copiose testatur, quo loco Umbriam Romani Callimachi patriam vocat,

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Callimachum præcipue Cyrenæum, Mimnermum, & Philetam, Græcos poetas, in carmine secutus est, quorum Manibus comitem se profitetur. Nam ut illi apud Græcos in Elegia consensu omnium longe præstiterunt: ita Propertius apud Latinos eorum imitatione primas videtur quorumdam judicio consecutus.

Lilius Gregorius Gyraldus Dialog. 4 de Histor. Poetar.

Sex. Aurelius Propertius Umber, ex Mevania oppido fuisse dicitur, vel potius ex Assisia vel Essisia, utrumque enim memini me legere in Græcis & Latinis scriptoribus, quam civitatem Axim vel Assim potius ipse poeta appellat, qua de re nonnihil Fl. Blondus, aliique viri docti. Ejus poetæ versus vobis ex quarto libro recitabo, ut plane rem percipiatis, quo loco vitam, patriam, fortunamque suam sub Hori mathematici persona recenset:

Digitized by Google

Umbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et sacer æstivis intepet hymber aquis.
Scandentisque Assis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Videtis ut plane Assem patriam suam faciat, & *sacrum hymbrem*, amnem sic adhuc ab incolis, paucis immutatis literis, vocitatum nominat, & idem paullo supra Assim *scandentes arces* appellat, cum canit,

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.

Nisi si quis audaciuscule eo versu *scandentem Assem* legere maluerit. Callimachum in primis, poetam Cyrenæum, & Coum Philetam dicendi forma imitatus est. Quin & se ipse alicubi *Romanum Callimachum* appellat, ut & Virgilium, Mantuanum Homerum dicimus. Quatuor Elegiarum libros, cultos & eruditos, reliquit.

Julius Cæsar Scaliger Lib. 6 Poetic. C. 7.

Propertius facilis, candidus, vere elegiacus: tersior tamen, quam existimatus est a Criticis. Nam & amat quædam quæ minime sunt vulgaria, & quibusdam locis paucorum judicium secutus videtur.

Hadrianus Turnebus Lib. 8 *Advers. C.* 2.

Lepidissimus & nitidissimus poeta Propertius.

Idem Lib. 11, *C.* 15.

Tanta versuum Propertii jucunditas & amœnitas est, ut eos dictantibus Gratiis a poeta exceptos censeas: tantum optarem ad aliam potius, quam amatoriam materiam, beatam illam & candidam ingenii venam contulisset.

Joannes Pierius Valerianus Sermone de studiorum conditione.

Sermones, ait hic, Vates Venusine, securi
Cædi posse tuos, crassos accusat, & odit.
Est cui sit docti libertas dura Catulli:
Virgilio ingenium qui demat, propter Homerum:
Qui tibi mollitiem vitio dent, terse Tibulle:
Te quoque grandiloquum, atque elegum supra ire, Properti,
Invideant potius, quam damnent, optime vates.

Franciscus Floridus Sabinus Apologia in linguæ Latinæ calumniatores, post recitatum Quintiliani judicium.

Quam parum tibi convenit cum Fabio, Marulle! Tu unicum Tibullum probas, ceteros excludis:

is non modo PROPERTIUM non exclusit, sed omnibus etiam aliquorum judicio anteposuit. Qua in re id sibi voluisse videtur, ut, quum eorum uterque in Elegia celeberrimus fuerit, unicuique sit liberum quem malit imitari. Quamvis autem nihil sit ferme odiosius, quam de summis viris & æqualibus præsertim judicare, nec libenter a Fabio dissentiam, cum quo bona eruditorum pars Tibullum PROPERTIO cultiorem asserit, non vererer in eorum album qui PROPERTIUM malunt, nomen dare, quippe qui quid in hujus poetæ scriptis desiderare liceat, non videam; ita omnia munda, absoluta, culta, concinna, elegantia sunt, nihilque habent quod caudam trahat. Atque ut illum Tibullo parem statuamus, in hoc certe magis est laudandus PROPERTIUS, quod Italorum primus Elegiam Latio donavit, ut ipse de se elegantissime testatur:

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.

&,

Ah valeat, Phœbum quicumque moratur in armis:
Exactus tenui pumice versus eat.
Quo me Fama levat terra sublimis, & a me
Nata coronatis Musa triumphat equis.

At id tam eleganter fecit, ut nihil quicquam ejus inventis posteri addere potuerint: quod nescio an Romanorum alicui (si Horatium, quamvis in di-

verso opere, excipias) adhuc contigerit. Ovidius certe blandi oris PROPERTIUM appellat, quem & jure sodalitii sibi junctum fuisse fatetur. Sed quantulus est apud Marullum Ovidius? aut quam nihil ejus Amoribus defert? &c.

Paullus Manutius Lib. 3, Epist. 14, ad M. A. Muretum.

Tu modo, qui Catullum expolieris, da operam ut in Tibullo, & PROPERTIO, qui locum illi proximum in elegantia verborum atque in sententiarum concinnitate obtinent, quam simillimum tui te praebeas. ita tres pulcherrimi poetae, & sine dubio inter Latinos in illo festivo genere principes, veterem suum splendorem ereptum vetustate, atque hominum inscitia, tuo maxime studio recuperabunt. Ego autem ipse mihi gratulabor, & quodam modo gratias habebo, quia te ad hanc industriam excitaverim.

Idem ibidem, Epist. 21.

Nec integrum jam est: &, si sit, cur tu poetam elegantem, maximeque omnium Latinorum fabellarum varietate, hoc est, vere poetica eruditione florentem, abjicias? Etiam illud: oblitus ne es, ei te Commentarium publice esse pollicitum?

M. Antonius Muretus dedicatione Scholiorum in Propertium.

Non injuria dubitatum est a veteribus, Tibullone an PROPERTIO deferendus esset inter Latinos poetas Elegiæ scribendæ principatus. Nam ut insunt in utroque permulta quæ eos vulgarium numero exemtos in edito atque eminenti statuant loco: sic propriæ quædam exstant & elucent in utroque virtutes, quibus uterque alterius palmam ambiguam facere videatur. Summa in Tibullo elocutionis elegantia & proprietas, summa in PROPERTIO eruditionis poeticæ copia & varietas: in illo Romana prope omnia, in hoc pleraque Transmarina. Illum, nativa quædam & incorrupta Romani sermonis integritas, in media Urbe natum & altum esse, perspicue ostendit: hunc præter cetera forma & character ipse dicendi in Græcorum poetarum scriptis assiduissime versatum esse demonstrat. quumque a sapientissimis viris traditum sit, duo esse præcipua poeticæ dictionis ornamenta, τὸ σαφὲς, καὶ τὸ ξενικὸν, illo Tibullus, hoc PROPERTIUS excellere videtur. Mollior ille, & delicatior: nervosior hic, & accuratior: illo magis oblectere: hunc magis, ut opinor, admirere: illum judices simplicius scripsisse quæ cogitaret: hunc diligentius cogitasse quid scriberet: in illo plus naturæ, in hoc

plus

plus curæ atque industriæ fuisse perspicias. Quæ quum ita se habeant, perdifficile est, decernere ac constituere, uter alteri præstet. Nam si præcipua laus poetarum in imitatione consistit: mihi quidem videtur Tibullus varios illos fluctuantis animi motus, quibus amantes agitari solent, melius imitatus esse. sin, ut quidque ad optimum proxime accedit, ita ipsum quoque optimum judicandum est: crediderim sane veterum illorum Græcorum, ac præcipue Callimachi, PROPERTIUM haud paullo similiorem fuisse: qua etiam fiducia ipse se *Romanum Callimachum* vocare ausus est. Sed hæc ut sunt, neque nostrum est, neque cujusquam hominis pudentis, & considerati, qua de re veteres illi, quorum fuit & doctrina major, & judicium acrius, non liquere pronuntiarunt, de ea certi quicquam constituere, & litem secundum alterutrum dare. Satius fuerit, utrumque studiose ac diligenter evolvere, utriusque virtutes accurate perpendere, utrumque sibi ad imitandum proponere, si quando forte nos ad tentandum idem poematis genus aut voluntas adducet, aut naturæ impetus feret.

Gulielmus Canterus præfatione in Propertium.

Quem inter poetas locum SEX. PROPERTIUS & veterum & nostri temporis hominum judicio obtineat, non est, cur pluribus doceam. Atque de

hoc ut constat, ita judicii hujus caussa æque est aperta. Ut enim Virgilio carminis heroici, sic huic Elegiæ principatum nemo non aut tribuit, aut tribuere saltem debet. Etenim sive insignem & perfectam a poeta doctrinam, sive versus omnis venustatis plenissimos, sive dictionem purissimam ac tersissimam requiras: unus tibi de omnibus abunde satisfaciet Propertius. Itaque non levi de caussa quo numero apud Græcos esset Callimachus, eo hic apud nostros & habitus fuit, & haberi ipse voluit. Quocirca qui Tibullum cum hoc, aut Ovidium contendere voluerit, non leviter, arbitror, operam luserit. nam Catullus quidem in aliis excellere videtur.

Justus Lipsius Lib. 2 Antiq. Lect. C. 10.

Propertium qui non amat, eum profecto Musæ non amant. Tanta ejus versuum suavitas est, ut quemadmodum comicus ille ait, nil nisi mulsa loqui videantur: tanta eruditio, ut non nisi Phœbo dictante credamus exceptos.

Daniel Heinsius dedicat. Monobibli.

Idem in nonnullis noster ille inaffectatæ elegantiæ affectator Catullus præstitit, & in primo libro maxime *Umber*: quamvis, si unam excipias Elegiam aut alteram, minus in hanc curam incubuit, minus-

Digitized by Google

que, sive certo judicio, sive alias naturæ suasu in proposito perstitit. In reliquis, a se simulque a Græcis degenerat ac retro cedit. Qui vir curam & operam ubique ad Elegiam, sed & gravitatem admirabilem non numquam contulit.

Idem Monob. Eleg. 6.

Nec modus, aut blandi carmen recitare PROPERTI,
Quem levis impositis pressit Amor pedibus.
Sive illum molli defixit Cynthia somno,
Horrentem notæ jurgia sævitiæ:
Seu quum non faciles impugnat carmine valvas,
Ebrius, & duris oscula dat gradibus.
Herculis aut magni raptos deducit amores,
Opprobrium castis non leve Naïasin.
Felix, qui, dulces versu mercatus amores,
Hæret in exstincti nomine Callimachi.
Felix, in roseis semper qui tempora sertis,
Inque Philetæis semper habet foliis.

Joannes Secundus Lib. 1, Eleg. 7.

Non, quia Virgilio primos concessit honores
Posteritas, Flacci sprevit iniqua lyram.
Aut male rejecit, quem protulit *Umbria*, vatem,
Sola cui longum Cynthia carmen erat.

Idem Lib. 2, Eleg. 1.

O tantum faveas *Umbri* levis umbra poetæ,
Cynthia si nostro semper in ore sonat.
Tu caput hoc circum pennis allapsa sonoris
Ter strepe, procumbens ter bona verba canam.
Deinde ubi Panchæo fumaverit ara vapore,
Placatum Lethes & mihi numen erit;
Aspersam lactis niveo te rore remittam,
Cynthia ne caro vate sit orba diu.

Idem Lib. 3, Eleg. 3.

Cynthia deinde, potens oculis jaculantibus ignem,
Subsequitur Coa mobilis in tunica.
Hæc domuit fortem, tactumque Cupidine nullo,
Et fastûs spolium celsa tuentis habet.
Tu quoque qui cernes, cave ne lædaris ab illa:
Spirat adhuc flammas, & sua tela gerit.

Caspar Scioppius Lib. 3 Verisimil. C. 10.

Propertio caput hoc a nobis dabitur, neque id immerito. Nullus enim fere est de scriptoribus, in quo exornando æque bene laborari putem. ita suavis est, & elegans, ut quemvis ad sui lectionem adliciat; ita rursus difficilis, ut non unum, nec uno in loco, interpretem requirat. Difficilis, inquam, ut mihi, aliisque paullo humanioribus, vide-

Digitized by Google

tur: qui alios, quibus ille modo non facillimus perperam existimatur; docere possumus.

Idem lib. de Stilo Historico.

Ceteri, quibus perennare, & ad nostram usque ætatem canescere contigit, ejus sunt notæ, ut ad eorum scripta, tamquam ad obrussam puritatis atque elegantiæ Latinæ, omnium posteriorum orationem exigere debeamus. Ii sunt Cæsar, Livius, Cornelius Nepos, Virgilius, Horatius, Propertius, Tibullus, & Vitruvius.

Jacobus Pontanus Lib. 2 Institut. Poetic. C. 25.

Ad antiquitatem merito rediguntur historiæ atque fabulæ, quibus moderate utendum est: manu enim serere oportet, non toto thylaco: secus est, quum inductione uti volumus: ibi quippe multas glomerari licet, immo vero oportet. Hoc in genere Tibullo præstat longe Propertius, in quo major est, quam in altero, poeticæ eruditionis supellex.

Caspar Barthius Lib. 9 Adversar. C. 10.

Dulciore eruditione & eruditiore dulcedine nemo scriptor est tota Antiquitate ante Propertium, quem scriptorem quo magis rimaberis, eo magis amabis; quæ enim primo intuitu obscuriora videbuntur, ea si penetraveris, omnium videbuntur na-

turali quadam Venere gratiosissima. Ita autem te velim hunc Poetam exquirere, ut nulli tam parem credas, quam sibimet ipsi: quæ regula quum omnibus præcipuis scriptoribus sit generalis, primo tamen loco quadam quasi Genii alicujus singularitate huic convenire magis videtur quam ceteris.

Idem Lib. 32, C. 9.

Quod si & paucorum quidem sed maxime locupletium testium accessione juvari velimus, non deerunt etiam præstantissimi scriptores, qui nobiscum sentiant. Ingeniosissimus & limatissimus, etiam eruditissimus scriptor est PROPERTIUS, Græcarum elegantiarum sine pari gnarus & amator. At ille nascentem tum primum Æneidem non parem sed priorem Iliadi ponere non dubitat, velut Pæanem post victoriam Latii canens, dum exclamat:

Cedite Romani scriptores, cedite Graji.
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Idem Animadv. ad Papin. Lib. 1, Silv. 2, v. 253.

Summa laus PROPERTIO data in Elego carmine, multorum judicio. Verissime Plinius Cæcilius L. 9, Epist. 22, *præcipuum in Elegia, tersum, mollem, jucundum*, dixit. Addendum omnino a doctrina præconium; est enim simul his, eruditissimus scriptor: prorsus Tibullo non comparandus, qui mera & inor-

Digitized by Google

nata simplicitas est, adeo tamen candida, delicata, nitida, & amabilis, ut nec ipse is auctor ulli possit comparari, nedum PROPERTIO, qui aliarum Venerum est.

Idem ad Lib. 5, Silv. 1, v. 211.

Pompam talem, quam sibi tamen non poscit, pulchre describit amœnissimus Poeta, PROPERTIUS, Lib. 2, Eleg. 13.

Idem ad Lib. 3 Thebaid. v. 559.

Quatuor genera *divinationum* enumerantur a PROPERTIO Lib. 4, Eleg. 1. Qui liber ostendit quantus Poeta PROPERTIUS, quantus auctor, fuerit.

Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos.
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbraque nec magicis mortua prodit aquis.

Quo loco doceri magnopere cupiamus quæ sint *magicæ* illæ *aquæ*, quibus cogatur umbra ventura aut occulta prodere. Sed dubitantibus commode subvenit admirabilis memoriæ Exegetes Joannes Passeratius, sine cujus Commentariis non suadeam legendum illum suavissimum Poetam, licet infinitis adhuc locis inemaculatum.

Gerardus Joannes Voſſius lib. de temporib. Poet. Latinor.

PROPERTIUS, patria Umber, ut ipſe ſcribit, æmulus Philetæ Coi, & Callimachi Cyrenæi, unde & ſe *Romanum* vocat *Callimachum*. Conqueritur & ſe excidiſſe agris paternis in diviſione ea, quæ ſub Triumviris facta militibus. Puella, quam Cynthiam vocat, vero nomine Hoſtia eſt dicta, ut ex Apulejo conſtat. Videtur autem fuiſſe filia Hoſtii, qui de bello Iſtrico ſcripſit, ut ſuperius relatum.

Joannes Iſaacius Pontanus Lib. 2 Analect. C. 2.

Sed pauſo paulliſper a tragico hoc opere, & PROPERTIUM amatorem vatem interſero; ſed vatem, ita Muſæ me ament, doctum, diſertum, magnificum. Venuſtas vero in illo talis, ut eruditorum conſenſu non modo principem ſemper laudem meruerit, ſed ob profundum quoque literaturæ perpetuam admirationem.

Andreas Schottus Lib. 2 Obſervat. Human. C. 7.

Cynthia facundi carmen juvenile PROPERTI: adeo elegans, & ſcitum, ut nihil eo venuſtius hoc in genere reperiri queat. Callimachum Græcum ut

expressit, Euphorionem, aliosque non nullos; ita illum similiter alii expressere.

Philippus Carolus Animad. ad Lib. 2 Agellii C. 23.

Sicut pictores oculis defessis, ad floridos & vividos colores se avertunt: ita bene natis & literatis ingeniis lenitas gravium longarumque meditationum Plautus est, & Terentius, & Publius, & Horatius, & smaragdus poetarum Propertius.

Rolandus Maresius Lib. 2, Epist. 6, post prolata Quintiliani verba.

Durum mihi quidem est, ab acris judicii Critico discedere, qui Tibullum videtur præferre. Sed tamen in iis me esse fateor qui Propertium malint. Quamvis enim Tibullus mire sit facundus, & elegans, Latinæ etiam proprietatis amantior, quam alter, qui sæpe græcissat, & in carmine exactior, & rotundior: tamen Propertius illum eruditione, & ingenii suavitate videtur superare, blandus omnino & lenis in affectibus: in quibus etiam exprimendis nonnumquam, tamquam calidus amator, & amore deperditus, vehementior fuit.

Lucas Fruterius Lib. 1 Verisimil. C. 14.

Propertium vere *Transmarinam Venerem* appellare possumus, cum propter varia in eo a Græ-

cis tralata dicendi genera, tum etiam propter quasdam & audaces & proprias sibi phrases, quas in alio poeta haud temere reperias.

Janus Pannonius, Episcopus Quinquecclesiensis Lib. 2, Eleg. 2.

Nemo adeo est amens, quin Umbros præferat agros
Omnibus Italiæ fertilitate locis.
Nec quoque gauderet se hac gente PROPERTIUS *ortum,*
Ni studio belli, ni foret apta togæ.

Franciscus Vavassor lib. de Ludrica Dictione.

Galli, qui duriuscule putatur scripsisse, nihil pervenit ad nos, injuria & iniquitate temporum. Tibullum, ita ut erat accepimus, excultum atque expolitum. Est PROPERTIUS in manibus, & oris blandi poeta, & altioris spiritus, & fabulis creber, & imitatione Græcorum doctior.

Olaus Borrichius Cogitation. de variis linguæ Latinæ ætatibus, in voce Vigilax.

Quamquam Sidonium inter capite censos non existimemus numerandum, hic tamen non tam Sidonium, quam incorruptissimos Latinæ linguæ auctores PROPERTIUM & Columellam veneramur, vocis hujus patronos.

Octavius Ferrarius Epiſtola ad Franc. Sparaverium.

Erant quidem oculi mei amœniſſimo Vicentinorum collium aſpectu recreati, quos tam bacchata Lyæo juga, quam veterum magnificentiæ decertantia civium prætoria nobilitant. Ibi quindecim dies opimo aucupio, &, ut cum Pindaro loquar, uvæ bullientis rore ſpumantibus pateris, ſed præcipue Propertianorum carminum dulcedine, jucundiſſime exegi.

Daniel Georgius Morhofius lib. de Patavinitate Liviana C. 12.

Propertius Umber inter principes aureæ ætatis poetas omnium ſuffragiis reponitur. Primus enim Italorum Elegiam Latio donavit. Blandi oris Ovidius illum vocat, & jure ſodalitii ſibi junctum fatetur.

Giovanni Vincenzo Gravina nel diſcorſo delle Antiche Favole.

Properzio ha novità d'eſpreſſione, fantaſia preſſochè lirica, ed è atto non meno alle coſe grandi, che a gli amori: ma in Tibullo, per avventura, è naturalezza maggiore.

Digitized by Google

Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina.

Sextus Aurelius Propertius, Umber, non minorem laudem scriptis elegis consecutus est, quam apud Græcos Callimachus, Cousve Philetas, quos æmulatum esse se ipse prædicat. Floruit paullo ante Ovidium. Exstant Propertii libri quatuor Elegiarum, lascivi passim, ceterum Tibullianis non concedentes lepore & elegantia, eruditione vero illos etiam antevertentes. Editi sunt cum Tibullo & Catullo, ut ad utrumque horum monuimus. ---- Novam vero eximiam hujus Poetæ editionem moliri in Belgio dicitur, qui omnes ejus Veneres imbibit, elegantissimus Janus Broukhusius.

JANUS BROUKHUSIUS
L E C T O R I
S. D.

Sex. Propertii quanta carminum fama apud veteres illos fuerit, quantaque ingenii ac facundiæ gloria, nemo hodie est paullo humanior qui ignoret. Et tamen, quod merito miremur, fato ille usus est adeo non favente, ut post discussas immanis barbariæ tenebras, quum jam respirare paullatim inciperet Res Latina, inter illos sit numeratus, quorum, præter nomen, nihil pervenire quiverit ad notitiam posteritatis. Certe jam diu post *Francisci Petrarchæ*, atque etiam *Joannis Boccatii* ætatem, latuit, atque ignoratus est: neque in ora hominum ac manus pervenit nisi circa medium sæculi quinti decimi, invento in cella vinaria sub doliis antiquo ejus Elegiarum libro, literis corrosis ac longa vetustate collabentibus. Cujus rei historiam, ab *Joviano Pontano* acceptam, apud *Alexandrum Alexandrium* denarrat vir non vetusto clari sanguinis ordine, quam literarum laude nobilior, *Jacobus Sincerus Sannazarius*. Ex illa tempestate, uti quisque fuit doctissimus, ita maxime animum intendit

Digitized by Google

ad Poetam nobilissimum non modo evolvendum, verum etiam intelligendum. Quod quum fieri non posset sine luculenta rerum veterum ac sermonis Romani cognitione, obstarentque præterea librorum minus bene descriptorum errores & multi & magni; opera certatim data est ab hominibus literatis, quo & fabularum tenebræ commode illustrarentur, & ritus ac mores antiqui in luce clara spectandi proponerentur, & denique vera ac germana Poetæ scriptura, quoad ejus fieri posset, ex collatione vetustorum librorum constitueretur. In tam nobili palæstra quam quisque laudem promeruerit, non est meum definire hoc loco, aut pronuntiare. Et sane non erat desperandum de Propertio persanando, quam diu res gesta est legitimis præsidiis, neque medicina ipsa modum excessit. Sed exorta est postmodum natio quædam crudelis atque immisericors hominum acutulorum, qui se Criticos appellari volunt, quorum omnis industria in eo versabatur, ut nullis non partibus scriptorum veterum, sive sanis atque integris, sive adfectis ac languentibus scalpellum adhiberent, freti sola acie ingenii. Horum ferrum, horum ignem, sæpe expertus est Sextus noster haud perfunctorie, sectus, ustus, laceratus membratim. Atque hæc isti suo se periculo facere dictitabant, neque aliam superesse medicinam ulceribus jam putrescentibus. Tanta erat

emendatorum copia, ut adsertore opus haberet, qui contra medicos adesset ægrotanti. Me quidem certe, quum a prima adolescentia supra modum cepisset Propertianæ lectionis mirifica illa suavitas, tamen nihil ita vehementer deterruit ac variantis scripturæ in libris criticorum moles infinita: unde nihil aliud proficiebam, nisi ut quæ certa mihi prius fuissent, protinus evaderent incertissima. Atque adeo plus semel in eo fui, ut nihil foret propius, quam ut abjectis omnibus libris ejurarem ingratum legendi laborem. Sed tamen habitus est modus; & exorta aliquando occasio non una, qua satisfacerem animi cupiditati in perquirendis libris antiquis. Etenim quum ante annos aliquot post varias jactationes certior me ac tranquillior statio excepisset, non putavi honestum otium somno aut desidia transmittendum: potius deducendum quod restabat cum Musis veteris ratiunculæ. Et successit satis feliciter hoc ipsum quod animo cogitaram. nam apud Virum Clarissimum, & longo amicitiæ usu mihi conjunctissimum, *Petrum Francium*, duos inveni codices Propertii in membrana exaratos, unde initium fieret instituendæ collationis. Horum alter scriptus est in Italia, litera non admodum antiqua, sed tamen plana ac facili, forma (ut vocant) octava: alter vero ætatis non paullo majoris, quique facile annos ipsos quadringentos excedere vi-

Digitized by Google

deatur, notæ sane bonæ, forma quarta, Italicæ & ipse propaginis. Illos ego *nostros libros* vocare soleo. Habebam & variantis scripturæ excerpta de codice *Posthiano*, *Jani Lernutii* manu (ni fallor) enotata, donum Viri Celeberrimi ac literarum nostrarum principis *Joannis Georgii Grævii*, cujus ego amori & plura debeo, & vero etiam majora. Neque reticeri debet jucundissimum beneficium, quo me devincire dignatus est Vir disertissimus, ac literarum cultu insignis *Jacobus Gallæus*. Quum enim istis temporibus apud nostræ reipublicæ Oratorem, cui erat a sacris, Lutetiæ degeret, usus est opportunitate urbis florentissimæ, atque adnitente Viro laudatissimo *Ægidio Menagio*, duos e Bibliotheca Regis Christianissimi libros in membrana calamo exaratos, curiosa diligentia contulit cum excusis ac vulgatis. Neque contentus opimo hujus laboris fructu, duos item alteros Bibliothecæ Colbertinæ eadem sedulitate evolutos, in usus meos, immo in publicos convertit. Et jam ego his præsidiis munitus aliquid sperare cœperam de vigiliis Propertio impendendis, quum ecce præter votorum meorum desiderium, magnum atque insperatum bonum obtulit fortuita felicitas. *Joannes* enim *Mensinga*, quo ego Viro, dum erat inter vivos, nihil umquam vidi candidius, humanius, officiosius, atque ad promovenda amicorum commoda paratius; is

(in-

(inquam) *Joannes Mensinga* non ignarus mei consilii, ultro ad me pertulit librum scriptum, ex Bibliotheca Academiæ Groningomlandicæ, in qua ipso cum laude summa florebat, depromtum. At vero, dii boni, quem librum! Erat is ipse, quem superiorum temporum critici *Posthianum* vocitarunt: is ipse, e quo tot insignes lectionum gemmas erutas in lucem publicam protulerunt *Janus Mellerus Palmerius*, & *Franciscus Modius*. quamquam ille per lasciviam ingenii, bonis paratis male est abusus: hic vero, si voluisset, plura poterat vidisse. Usus est hoc ipso libro & *Joannes Livinejus*, vir acri & recto judicio. Sed de ejus notis, in quibus tantum materiam rudem videmus futuro ædificio comparatam, eo mitius est sentiendum, quod sunt postumæ, atque etiam plane imperfectæ. neque tamen nusquam profuerunt. Accedebant, aliquanto tempore post, excerpta libri manu scripti, quem cum aliis rei literariæ cimeliis reliquit Vir sæculorum memoria dignissimus *Olaus Borrichius*. Illa excerpta ad *Grævium* nostrum transmiserunt Viri Excellentissimi, *Paullus Vindingius*, & *Joannes Conradus Wolfenius*, hic Serenissimo Daniæ Regi a Bibliotheca, ille a consiliis. Quorum virorum præcellentem dignitatem summa exornat eruditio, eruditionem summa commendat humanitas. Nos vero utrique eas pro accepto beneficio gratias publice agi-

mus, quas nos debere sentimus clarissimis utriusque virtutibus. Symbolæ quoque non nihil contulit Vir Clarissimus *Theodorus Jansonius ab Almeloveen*, Hardervicanæ Academiæ decus singulare, facta collatione editionis principis cum ea quam illustris *Scaliger* procuravit. Sæpenumero (nam & hoc dicendum erat) mihi profuit vetus editio Veneta A. 1475, quam re ipsa comperi, nihilo esse inferiorem manu scriptis. Hanc anno uno antecessit illa, qua usus est *Almelovenius*. Neutram harum vidisse magnum virum *Gerardum Joannem Vossium* ex eo liquet, quod in libris de Arte Grammatica semper tamquam omnium primam laudat illam, quæ prodiit Regii Lepidi A. 1481. Habes, Lector, recensum copiolarum nostrarum, unde natum nobis quidquid hoc est commentatiunculæ. Quam tu qua fronte sis accepturus, ego sane nescio; quamquam nihil sinistri animus mihi auguratur. Si bonus es, & humani moris memor, cur ego metuam te? Sin vero Attila quispiam de schola; nihil te moror. Pessimum istud est mortalium genus, atque implacabiliter contentiosum, quorum inimicitiæ nec morte ipsa finiuntur. Idcirco decretum est, non commoveri, si quis me quæret rufus. Verum enim vero bonum te esse plus multo expediet mihi, siquidem his chartis manum admovere non recusabis. Itaque superest ut a bonitate tua pudentem veniam

Digitized by Google

petam, si tres, quatuor conjecturæ meæ, illæ quidem non nimis infirmæ, sed tamen conjecturæ, nescio qua mea incuria, in ipsum textum irrepserunt. Has tu, si voles, quantocius ejicito: nam in notis legi, relicto tuo tibi judicio, satius fuisse arbitramur. Quæ a membranis venerunt, neque tu (sat scio) improbabis. Plura deprecari si velim, aut etiam longis abs te rationibus contendam ut tu ubique mecum facias, ridiculus sim. Uti in convivio, ita in lectione suus cuique gustus est: neque ut invitus probet, quæ probanda non putat, rogari quisquam debet. Vale.

L. B.

Sextus Aurelius Propertius, Vates doctissimus, secundis Curis *Jani Broukhusii*, Viri eximii, & perpaucissimis, qui post renatas literas Musarum sacra coluere, Poetica laude inferioris, tibi, Lector Benevole, sese sistit emendatior ex codice, quem in auctione supellectilis Literariæ Viri Amicissimi Davidis Hoogstratani mihi comparatum utilitati publicæ minime negare volui, id rogantibus Fratribus Wetsteniis, Typographis, si qui alii, optime de re Literaria meritis. Elegantissimæ adnotationes, quæ uberiores huic editioni accedunt,

Digitized by Google

non in schedis jacebant, ut dispersa Sibyllæ folia, sed adeo nitide descriptæ erant, ut facile appareret, Virum omni laude majorem hasce novæ Editioni destinasse; in animo enim habebat manum iterum, neque perfunctorie, admovere emendando Poetæ, quem faciebat maximi, & adeo feliciter Elegis suis expressit. Nihil dedimus nisi mere Broukhusianum; ad manum quidem erant observationes fratris mei, & alia quibus Umbrum Callimachum, qui a pluribus legitur quam intelligitur, innumeris enim in locis pessime habitus est & laceratus, pristino nitori aliquomodo restituere possem. Sed neque temporis angustiæ hoc concedebant variis negotiis occupato, & non adeo videbantur hujus loci: Elegiam tamen, haud invenustam, Jo. Mensingæ, optimi Viri, hic legi volui, quam certe non dignam credebam, quæ forte periret. Vale.

ELEGIA
IN
SEX. AURELIUM PROPERTIUM,

Emendatum, atque illustratum a Viro utraque Pallade claro Jano Broukhusio.

Ergone, Jane, tuo Vati, quem rite colebas,
Non aliter Clarius ceu foret ille deus,
Ergone felici Vates pro munere Vati
Munera cum multo fenore plura refers?
Ille tuus Vates, primis tibi cultus ab annis,
Cynthia cui Veneres materiemque dedit,
Callimachus plectrum cui tradidit, osque disertum,
Clitumnus venam potus aquasque suas,
Clitumnus sacer amne suo, Rex *tramitis Umbri,*
Pegaseis mixtus ceu foret ille vadis.
Ille modos, numerosque suos & eburnea plectra,
Ille suas artes & dedit arma tibi.
Tu memor, æterno pro munere, lætus honores
Æternos Vati dasque refersque tuo,
Dum pulchro tergis fœdas e corpore sordes,
Et tollis lima vindice mille notas;
Quas longæva dies, & iners alleverat ætas,
Barbara quas dederant arma, vagusque furor.

Hoc est cum sacris vera contendere palma
Vatibus, hoc primos demeruisse duces.
Lætus in amplexus Vates properaret amicos,
Elysia posset liber abire domo,
Officiumque tuum merito pensurus honore,
Te servatorem diceret ille suum;
Et testaretur multis de millibus unum
Aut æquasse suos, aut superasse modos.
Non datur ulterius suppresso promere curas
Judice, nec tecto nomine, Jane, legi.
Non facit ad famam pudor hic laudemque perennem,
Ulterius Famæ non dare verba potes.
Illa tuum nomen, malis licet ipse latere,
Jam pridem in populos, ora, diemque dedit.
At labor hic Vati datus, officiumque supremum,
Diffundet nomen, qua datur, usque tuum.
Atria Pieridum myrtique, hederæque coronent,
Cingat Hyanteas laurea multa fores.
Jam sibi promittant sacræ meliora Camenæ,
Nec fastus metuant, ludibriumque deæ,
Cum Mars ipse suum per te testetur amorem,
Et Vates habeant bellica castra duces,
Qui pulchras referant utroque ex pulvere palmas,
Inque acie possint has meminisse deas.
Fertur ut Alcæus plectroque insignis & hasta,
Et Vatis partes ac subiisse ducis.
BROUKHUSI *Vatum interpres, Phœbique sacerdos,*

Digitized by Google

Martis amor, Clarii fama superba chori;
Hos si rite tuos virtus Mavortia mores,
Exemplumque colant, ac tua facta duces,
Accedet pretium Phœbo, doctisque Camenis,
Vatibus accedet vis nova, sorsque prior.

Jo. Mensinga.

Digitized by Google

JOANNIS PIERII VALERIANI

IN

SEXTI PROPERTII

Antiquum Caput.

ERGO *hæc illa boni facies veneranda* PROPERTII?
Illa oculis facies semper amanda meis?
At non artificum ingenio, aut mortalibus ausis
Facta hæc effigies: munus opusque deûm est.
Sive Amor hanc, sive alma Venus, seu docta Minerva
Rarum a Vulcano pignus amoris habent.
Qua super, ut quondam de malo, (ita dictat Apollo)
Certavere diu Cypria, Pallas, Amor.
At modus est pugnæ impositus Jove judice tandem,
Si rarum hoc vates Fuscus haberet opus.
Adsensere igitur: neque enim in mortalibus ullus,
Cui tantum adspirent Cypria, Pallas, Amor.

Digitized by Google

GUIDI POSTUMI.

Pallida quod nimium male finxerit ora PROPERTII,
Ne precor artificem carpite: talis eram.
Finxit enim duræ mœrentem facta puellæ:
Aruerat sanguis, fugerat ore color.
Hac ego marmoreos sumsi de Gorgone vultus:
Hujus eram vivus, mortuus hujus ero.
Usus abest vitæ tantum: verum hunc quoque & olim,
Alterius vivens pectore, non habui.

CASPAR BARTHIUS

Animadv. ad Papin. Lib. 6 *Theb. v.* 6.

Istud de *Delo* primi vidimus, quamvis infinitis doctis viris examinata hæc sint: quorum sententias sane docte judicat Matthæus Raderus; cujus doctissimis & accuratis Commentariis in Martialem, utinam similes in omnes Poetas haberemus. Ineptiunt hodie qui sine doctorum hominum collectis sententiis, iisque censitis, tale quid scribere moliuntur: non enim fieri potest, quin ex pluribus unus aliquis, quocumque etiam Apolline doctus, plura quam ex sua industria discat; & præterea necesse erit incurrat cogitationes & observationes aliorum, aliquando totas, aliquando partitim. Unde suspicionem malignitatis minime eximet prioribus scriptoribus, sua, ut fit ubique in his literis, quæ prorsus, nisi singulari ingenio præditis, ridicule tractantur, tenerrime diligentibus.

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES
IN
PROPERTIO

Ex duobus Mss. Codd. altero chartaceo Viri Cl. & humanissimi, Joannis Chrysostomi Trombellii Bononiensis, Abbatis Canon. Regular. Congregationis Rhenanæ Sancti Salvatoris, in 4: altero membranaceo Guarneriano Bibliothecæ Sancti Danielis, in folio; cujus diversas lectiones Joanni Antonio Vulpio misit Utino, Vir doctus & amicus, Dominicus Ongarus.

Litera B. *significat priorem Codicem*; G. *vero posteriorem*.

Propertii Aurelii Nave liber incipit, G.

Lib. I, Eleg. I.

v. 13. Ille etiam *psilli*, B. G.
17. *nonnullas*, B.
24. *cytalinis*, B. G.
25. *Et vos*, G.
30. *novit*, G.

Digitized by Google

Lib. I, Eleg. II.

v. 7. *non ulla tuæ eſt medicina figuræ*, B. G.
9. *quos ſummittat*, B. G.
13. *perſuadent*, B.
16. *telaira*, B.
19. *Non* phrigium, G.
20. *Aduecta*, G.
25. ne *ſim tibi* vilior, B. G.
29. unica -- gratia *dictis*, G.

Lib. I, Eleg. III.

v. 27. *duxit* ſuſpiria, G.
28. *vario* c. auſpicio, G.
29. Ne qua *ſibi*, G.
31. *præcurrens* luna, B.
36. *expulit* e foribus, G.
43. *leviter* m. deſerta, B. deſerta *loquebar*, G.
44. *extremo* - in amore, B.
45. *laſſam* ſopor impulit, B.

Lib. I, Eleg. IV.

v. 16. *fallis utrumque*, G.
22. *Deferet*. heu nullo, G. nullo *lumine*, B.

Digitized by Google

Lib. I, Eleg. V.

v. 8. non *ſolet*, B. G.

9. tuis non eſt contraria *noſtris*, B. Quod ſi forte *ruis*, G.

10. *excelſam* quid ſit a. domum, B.

Lib. I, Eleg. VI.

v. 23. *nonnumquam*, G.

31. *quæ* tendit Ionia, ſeu *quæ*, B.

32. *Lidi* pactoli, G.

Lib. I, Eleg. VII.

v. 18. *eviolaſſe*, B. G.

23. *Tum* me, G.

Lib. I, Eleg. VIII.

v. 7. fulcire *ruinas*, B.

11. *Nec* tibi, B. G.

15. patiatur *harena*, G. in marg. codicis, in *hora*.

19. *Utere* felici -- remo, B. *provecta*, G.

22. tuo *lumine*, B.

25. *Thraciis* licet *hæc* conſidat in oris, B. Et dicam atraciis licet *hæc*, G.

43. *Num* mihi, B.

45. *ſubducit*, G.

Lib. I, Eleg. IX.

v. 4. *quævis* imperat, B.

11. Plus in amore .... *numerini* -- *homeri*, G. *numerini*, etiam editio princeps A. 1472. In cod. Bononiensi lacuna est ubi alii legunt *Mimnermi*.

14. Et cane -- al. *cave*, G.

15. *Quod* si non esset, G.

27. *subducere* ocellos, G.

29. donec *vanus*, G.

30. *aufuge* blanditias, B.

33. errata *fateri*, B.

34. in amore *levat*, B. G.

Lib. I, Eleg. X.

v. 11. *concedere* nobis, B. G.

20. nonnihil *æger* amor, B.

28. Hoc magis *effecto*, G.

Lib. I, Eleg. XI.

v. 4. *Proxima* Misenis æquora, B.

5. *adducere* noctes, B. *abducere*, editio princeps.

6. *Et quis*, B. Ecquis *immerito* ---- al. *extremo*, G.

21. An mihi *non* major, B.

Digitized by Google

An mihi *non* major caræ, ---- al. *curæ*, G.

28. *dabant*, B.

29. Littora quæ *fuerant*, G.

30. Ah pereant, &c. Hunc versum sequitur uno contextu in cod. Guarn. Elegia quæ in vulgatis duodecima est.

Lib. I, Eleg. XII.

v. 7. Olim *paratus* eram, B.

15. *Flexit* qui potuit, B.

19. *Me* neque amare aliam, B.

20. ab hac *discedere*, G.

Lib. I, Eleg. XIII.

v. 5. *Quum* tibi, B.

6. amore *viam*, G.

7. *tardas* pallescere *curas*, B.

9. *contenti* pœna doloris, B.

16. Et flere *in lectis*, B. G.

19. *deducere*, B.

27. *fastos*, B.

29. *quoque sic* Iove digna, B.

34. *Utere*, G.

36. Et *quæcumque* voles, B.

Lib. I, Eleg. XIV.

v. 2. *mentorio* -- opere, B.
24. *vel* alcinoi, B. G.

Lib. I, Eleg. XV.

v. 7. pectus *variare*, B.
26. parce *movere*, B.
30. Annus *ut* inversas, B.

Lib. I, Eleg. XVI.

v. 3. *celebrabant*, B.
5. saucia *curis*, B.
8. Semper & *exclusis*, B. G. --- signa *tenere*, G. ---- al. *jacere*.
18. *jam* duris, B.
22. *Turpis* & in tepido *lumine*, G.
23. sidera *plena*, B. G.
26. *Respondens*, B. *Respondes*, G.
34. *Et* mea, B.
38. Quæ solet *irato* dicere *tota* loco, B.
45. Hæc *velle*, B.
48. *deferor* invidia, B. G.

Lib. I, Eleg. XVII.

v. 3. Nec mihi *Caliope*, G.
15. Nonne fuit *levius*, B. & sic editio princeps.

19. ſe-

19. *sepelissent*, B. G.
26. solvite vela *notho*, G.
27. Si quando *nostras*, B.

Lib. I, Eleg. XVIII.

v. 18. Et *nonnulla*, B.
20. pinus *amica*, B.
22. *nostris* --- corticibus, B.
30. possunt narrare *puellæ*, B.
31. resonent *mihi*, G.

Lib. I, Eleg. XIX.

v. 5. Non adeo leviter, *nunc* puer *exit*, G. -- al. *nostris*.
7. conjugis *heres*, B.
10. *Thessalus*, G.
16. *hæc* ita juxta sinat, B.
12. *e* nostro pulvere, B.

Lib. I, Eleg. XX.

v. 4. *nimius dixerat*, B.
Minius dixerat, G.
5. non infra *spem*, G.
7. *Hunc* tu, B.
8. *cinxerit*, G.
11. cupidas - rapinas, G. -- recte.
12. Ausoniis - *adriacis*, B. G.

13. *Nec* tibi *sint duri* montes, *nec* frigida saxa, B.
Ne tibi *sint duri*, G.

29. *seducitur*, B. *subducitur*, G. ---- al. *secluditur*.

32. *ibat amadrias hinc*, B.

33. Hic erat *arganti phege*, G.

34. nymphis *thiniasim*, B.

46. *deseruere* choros, B.
In cod. Guarn. huic Elegiæ adjuncta est quæ proxime sequitur.

Lib. I, Eleg. XXI.

v. 4. Pars --- *maxima*, G. --- al. *proxima*.

5. *Ut* --- possint, B.

6. *Nec* soror *acta*, B. G.

8. ignotas --- *minus*, G. --- al. *manus*.

Lib. I, Eleg. XXII.

v. 3. sunt nota *sepulcra*, B.
Propertii Aurelii Nautæ liber secundus ad Mecenatem incipit feliciter, G.

Lib. II, Eleg. I.

v. 5. Sive illam *chois* f. i. *cogis*, B.

10. Miramur --- ut *premit*, G.

14. *Tum* vero, G.

24. Cimbrorumque *manus*, B.
27. civilia *bella* Philippos, B.
31. Aut canerem *Cyprum*, G.
35. *Et* mea Musa --- *contexerit*, G.
45. *verſantes* prœlia, B. G.
53. pereundum *ſanguine*, G.

Lib. II, Eleg. II.

v. 11. Mercurio *ſatis*, B. in marg. *qualis*.
12. Virgineum *primo*, G.
13. *Cædite etiam* divæ, G.
14. *tunicas* ponere, B. G.
16. vatis *agit*, G.

Lib. II, Eleg. III.

v. 19. Æolio *quoque* tentat, B.
20. *Pax* aganippeæ, B.
22. *Carmina quæ quivis*, B. Carminaque *Lyrines*, G.
24. *ſtertuit* omen, G.
25. *contulerint*, B. G.
30. *accumbens*, B. *occumbens*, G.
31. *nobis* humana cubilia, B.
38. tu quia *lætus* eras, B.
47. detrectat aratra, B.
53. *Phero* formoſa, G.

Digitized by Google

Lib. II, Eleg. IV.

v. 8. Non *per Medeæ*, B. per *mediæ*, G.
9. Quippe *ibi*, G.
17. amet *ille*, G.

Lib. II, Eleg. V.

v. 12. nubes vertitur *acta*, B.
21. tibi *perjuræ*, B.

Lib. II, Eleg. VI.

v. 2. Ad cujus jacuit -- *pedes*, G.
5. *voluit* componere thebas, B.
8. qui tibi *jura ferunt*, G.
9. Me juvenum *pictæ facies*, G.
11. Me *lædet* si multa tibi *dabit*. o. m. B. Me *lædet*, G.
23. lectus *Ulixis*, B. Hæc est vetus & proba hujus nominis ſcriptura.
24. *feri* femina l. a. B.
28. turpia *juſſa*, B.
34. *Tum* paries, G.
41. *Nos* uxor numquam, B. G.

Lib. II, Eleg. VII.

v. 2. *stemus* uterque, B. G.
8. perdere *more*, B. perdere *morte*, G.

Digitized by Google

9. *Aut* ego, G.

10. *velis prodita*, G.

13. unde mihi *&c.* In Guarneriano incipit hic alia Elegia.

15. Quod si *vera meæ*, G.

Lib. II, Eleg. VIII.

v. 4. *segnior* hostis, G. -- al. *levior*

8. hæc in amore rota est.

Poſt hunc verſum in codice Guarneriano nulla eſt lacuna.

25. Sed non *efficies*, B. G.

Lib. II, Eleg. IX.

v. 1. Sed *fors &* in hora, B. G.

12. *Propoſitum fluviis*, B.

13. corpus *achilli*, B.

15. *Quom* tibi, G.

16. viduo -- *viro*, B.

17. *caſtis* -- natis, B. G.

39. mihi solvite *curam*, B. in marg. *vitam*.

45. *ponat* vestigia, B.

Lib. II, Eleg. X.

v. 14. se *tumuiſſe*, G.

26. *parnaſi* flumine, B.

Lib. II, Eleg. XI.

v. 2. *Ludet* qui -- semina *ponat* humo, B.

Lib. II, Eleg. XII.

v. 3. *Is* primum --- *amantem*, G.
9. *auratis* --- sagittis, B.
15. *e* nostro quoniam de pectore, B.
17. Quid tibi jucundum *est*, G.
18. Si *puer* est, B. G.
19. isto *potius*, G.
23. *Qui* caput, G.
24. Et *canat*, G.

Lib. II, Eleg. XIII.

v. 1. armatur *hetrusca*, B. *etrusca*, G. --- al. *tota*.
25. Sat mea *sit* magna, B. G.
27. *nondum* pectus lacerata, B.
37. *Non* minus, G.
39. *venias* ad fata, B.
42. *adversi* conscia terra, B.
47. *minuisset facta*, B.
Quis tam --- *meminisset*, G.
49. vidisset corpus *humari*, B.
53. *adonem*, B.
55. *jacuisse* paludibus, G.

Lib. II, Eleg. XIV.

v. 2. *altæ* L. opes, B.
5. Nec sic Electra *suum* salvum aspexit, G.
8. *Dædalium* --- iter, B.
17. Ante pedes *cæcos*, B.
26. sub nostro *carmine nomen* erit, G.
29. *veniet* -- navis, B.

Lib. II, Eleg. XV.

v. 1. *Ah* me felicem, o nox, G.
4. *submoto* lumine, B.
17. vestita *cubares*, B.
27. *vinctæ* -- columbæ, B.
35. transferre *dolores*, B.
39. Si dabit *has* multas, B.
41. si cuncti *cuperent*, G.
43. Non ferrum crudele, neque esset bellica navis, B. recte; & sic Broukhusius.
44. *adriacum* -- mare, G. *verteret* ossa, B.
47. *Nec* certe, G.
49. dum *licitum est*, fructum, B.
53. magnum *speramus*, B. G.

Lib. II, Eleg. XVI.

v. 25. Non quia *peccarim*, G.
27. *exclusis* -- lumbis, B. G.

32. nescit *abire*, G. -- al. *abeſſe*

35. *ni* forte, B.

39. *Nunc* infamis, G.

49. *Vidiſtis* toto, G.

52. ira *cadet*, B.

55. *Non* tibi sit tanti, B.

Lib. II, Eleg. XVII.

v. 1. promiſſis *fallere*, G. -- al. *ducere*.

15. *Nec* licet, B.

18. quum *in me*, B. G.

Lib. II. Eleg. XVIII.

v. 5. ætas mea *caneret*, B.

7. *An*, non, G.

9. fovit in *undis*, G.

10. Quam prius *advinctos*, G.

19. *Et* tu etiam, G.

21. *Quid* ego, G.

24. *extremo* -- nitore, B. *heſterno*, G. -- al. *externo*.

25. *tecta* figura, G. -- al. *recta*.

33. *Quin* tibi, B.

35. *Iſte* tuus, B. G.

Lib. II, Eleg. XIX.

v. 1. *At* ſi me invito, G.
4. non *ſinet* eſſe probam, G.
14. *corruit* ante focos, B.
19. reddere *pini*, B.
20. *movere* canes, B. G.
21. Non tamen &, B. *captare* leones, G.
24. *ſtricto* -- calamo, B.

Lib. II, Eleg. XX.

v. 2. *triſtis ut* andromacha, B.
4. Quid *quæris*, B.
7. Niobe -- *ſuperbæ*, G.
8. *defluit a ſyphilo*, G.
10. *damnes* condita membra *dono*, B. membra *modo*, G. -- al. domo.
19. *Quid* ſi nec nomen, G.

Lib. II, Eleg. XXI.

v. 6. credula *turba* jaces, G.
12. Ejecta eſt *tenuis* namque creuſa *domo*, B. G.

Lib. II, Eleg. XXII.

Ad Herem Demophontem, G.

v. 1. Scis *heremi*, B.
4. O *nimis exitio* nata theatra *meo*, B. G.

5. *deducit*, B.

6. *inicit*, B.

25. *requieverit* arctos, G.

27. ad *flumina*, G.

41. *navim*, B. G.

43. Si *non es* dura, B.

44. *Quod* juvat & nullo pondere verba *loco*, B.
Quid juvat & nullo *ponere* verba *loco?* G.

48. *Et* recipi *quæ num voverit ille* vetat, B.
Quom recipi *quæ* non, G.

Lib. II, Eleg. XXIII.

v. 1. fugienda semita *quoi sic*, G.

4. *promissa* -- verba, B. G.

10. *in munda* -- casa, G. -- al. *nuda*.

17. garrula *quod* te, B.

Lib. II, Eleg. XXIV.

v. 1. *sit* jam toto, B. G.

3. aspergat tempora *sudor*, B.

10. *non* tibi caussa levis, B.

15. dispendia *si me*, B.
Ha peream ---- dispendia *si* me, G.

17. gaudere *videbas*, G. ---- al. *jubebas*.

31. Qui *nunc in* tumidum, B. Qui nunc *se* in tumidum, G.

36. *heu heu*, B.

37. Certus eras *heu heu*, B.
38. quamvis *navita*, B. G.
42. *Credo sed* multos, B.
47. *finxit* amorem, G.
51. *Hi* tibi nos erimus, B.
52. *pectora* nuda, B. G.

Lib. II, Eleg. XXV.

v. 2. sæpe *veni*, B.
12. *Sæpe Perile*, B. *sæpe Perille*, G.
15. *obſita* teritur, B. *obſita tegitur*, G.
46. vulneris una via, B.

Lib. II, Eleg. XXVI.

v. 10. *jam* dea, B. G.
23. Non *niſi*, G.
39. *ratis Argo*, B. G.
50. urna profudit, B. G.
53. *&* nobis mitescet Scylla, B.

Lib. II, Eleg. XXVII.

v. 10. *Ne* subeant, G.

Lib. II, Eleg. XXVIII.

v. 5. *nec* tam ardoris, *nec* crimina, B.
8. Quicquid *juratur*, B. G.
11. *contenta* tibi, G.

Digitized by Google

15. *mihi* vexatæ, G.
16. *venit* mollior hora, B.
26. *Ipsa* sepulturæ, B.
27. quo *sit*, G.
37. *discedere* cælo, B.
52. *pasiphone*, G.
57. aut cuiquam fortuna perennis, B.

Lib. II, Eleg. XXIX.

v. 1. nocte *gravarer*, G.
31. Quo tu matutinus, G.

Lib. II, Eleg. XXX.

v. 12. Si modo *præsentis*, G. (*ita semper hujusmodi casus accusativos effert hic codex.*) -- viderit *ille*, G.
15. *ornentur* legibus, G.
16. tibia docta *sonet*, G.
18. *pallidus* ora tumor, G.
21. Spargere & alterna, B. G.
22. præmia *digna*, G.
25. *liceat modo -- tecum*, G.
26. *Rorida* muscosis, B.
29. Ut *Semela* est combustus, B.
34. non *noscit*, G.
36. rupibus *ingemuit*, G.

Lib. II, Eleg. XXXI.

v. 3. *Tanta* erat in speciem, B. G.
6. carmen *habere*, G.
8. *invida* signa, G.
11. *Et quo* solis erat, B. *Et quo* solis *erant*, G.
In Guarneriano cod. sequitur eodem contextu, *Qui videt, is peccat, &c.* -- qui *te non* viderit, G.

Lib. II, Eleg. XXXII.

v. 4. mœnia *lethogoni*, G.
5. Cur *vatem* herculeum, G.
6. te via ducit *anus*, G.
12. aulæis -- *actaicis*, G. (fortasse *actiacis*)
14. platanis -- *urgentibus*, B.
32. viva reducta domum est, B.
40. *naica dona*, B.
61. *tuque es* imitata latinas, G.

Lib. II, Eleg. XXXIII.

v. 5. Quæ *clam* tam cupidos, G.
13. *At* quoniam, B.
35. nihil *est* mutata, B.
Me miserum multo *non est* mutata l. G.
37. *perpendent*, B. *demissa* -- *serta*, G.

Digitized by Google

In Guarneriano cod. sequitur eodem contextu, *Cur quisquam*, &c.

Lib. II, Eleg. XXXIV.

v. 1. Quur *faciem quisquam*, B.
9. *perfide curam Tangere*, B. G.
17. *Te lecto* solum, *te lecto* deprecor u. B.
31. musis *memorem*, B. G.
32. Et non *inflantis*, G.
35. *in* phrigio, G.
39. *Non amphiaræ* prosunt tibi f. q. B.
Non amphiareæ prosunt *tibi facta* q. G.
47. *gravis* taurus, B.
49. *Hæc* tu tam duros *parte*, G.
50. domandus *erit*, G.
53. Nec *sic* -- *restaverit* undas, G.
59. *externis* -- corolis, B.
61. Actia *Virgilio*, G.
69. mala *puellas*, B. G.
72. *ipsa* canat, G.
78. *herba* jugo, G.
83. aut sim minor, B. G.
84. *cesset*, olor, B.
85. *laudabat* -- Varro, G.
86. maxima *cura*, G.
88. Lesbia *quin* ipsa, G.
94. Hos inter *me si*, B.

Explicit liber ſecundus Propertii Aurelii Mevanienſis. ita Guarn. cod.

Propertii Aurelii Mevanienſis Lib. III. G.

Lib. III, Eleg. I.

v. 5. carmen *tenuiſtis*, B. G.

6. *quave* -- *aqua*, G.

21. quod vivo *detraxerat*, G.

22. reddet *onus*, G.

25. equo *pugnas* abiegno noſceret *actas*, B. *ab regno* noſceret, G.

26. Fluminaque -- *comminuiſſe*, G.

36. auguror *ipſe*, B. G.

37. Ne mea *contento*, G. (pro *contemto* ſcilicet, ut ſcribebant veteres.)

40. *inſolito* -- ſono, B.

In codice Guarnerii poſt hoc diſtichum ſequitur eodem contextu, *Orpbea detinuiſſe feras*, &c.

Lib. III, Eleg. II.

v. 2. Flumina -- *detinuiſſe*, G.

13. *Et* Muſæ comites, B.

15. Fortunata meo ſi qua *eſt cantata* l. G. -- al. *celebrata*

16. formæ tot *numerata* tuæ, G.

20. *vacat*, G.

21. *subducit* honores, B.
22. p. victa *ruunt*, B.
23. At non *ingenium*, G.

Lib. III, Eleg. III.

v. 9. *Victoresque* moras, G. sic *auctores aves* dixit Noster Eleg. 3, lib. 4.
11. Annibalemque *alacres*, G.
33. *Diverseque* -- sortitæ *rura*, G.
36. *at illa* -- *utranque rosam*, G.
41. *præconia* classica, B. G.
45. *sævo* p. sanguine, B.

Lib. III, Eleg. IV.

v. 9. *Omina* fausta, B. *Omnia* fausta, G. *cladem*que piate, B. *classes*que piate, G.
13. *oneratos* Cæsaris *axes*, B. G.
14. *Ac* vulgi, B.
19. Ipsa tuam serva prolem Venus, B. G.
22. *Me* sat erit, B. G. Hic desinit hæc Elegia in B. & G.

Lib. III, Eleg. V.

v. 6. *ire* paro *classe*, G.
8. parum *caute*, B. G.
11. vento jactamur, B. G.
18. quæ venit *acta* die, B.

21. Me

21. Me *juvet* & multo, B.
24. Sparſerit & nigras, B.
Sparſerit *integras*, G.
29. ſuperant *cuncti*, G.
32. cur bibit *arquus*, B. cur bibit arcus, G.
34. Solis & *atractis*, G.

Lib. III, Eleg. VI.

v. 5. ſine vanis, B.
9. *Sicut* eam, B. G.
12. Nullave gemma, B. G.
20. *Illa* poteſt -- *miſerum*, G.
40. Jurabo bis ſex, G.

Lib. III, Eleg. VII.

v. 5. Tu Pœtum Carpathios, G.
12. omne mare *eſt*, G.
22. pœna *minantis aquæ*, B. *Qua* notat *arginni*, G.
47. Non tulit *hunc* Pœtus, G.
48. Et duro teneras, &c. *Poſt hunc verſum codex Guarn. caret lacuna.*
49. Sed *chio calamo*, B. *chio calamo* aut *orithia terebintho*, G.
50. Et *fultum*, B. G.
60. in freta *longa*, G.
61. ſcopulis *infigar*, B.

63. evehat æstus, B.

66. voxque diesque, B.
ultima*que* Pœto voxque, G.

68. *tracta* dolore, B.

69. Vos decuit *lapso*, G.

Lib. III, Eleg. VIII.

v. 13. *circa* se stipat, B. G.

14. Mænas & *acta*, G.

16. Seu *miserum*, G.

21. *Immorso* -- collo, B. ita conjiciebat Nic. Heinsius.

27. Odi ego *quæ*, B. G.

28. in *iratam* pallidus, B.

29. *grata* per arma, B. *que* grata, G.

37. *tendisti* retia, B. G.

40. *Offensam* illa mihi, G.

Lib. III, Eleg. IX.

v. 8. *Flamma* nec ex æquo, G.

10. Exactis *calamus*, G.

11. In Veneris *tabulam* summam *tibi*, G.

12. *parva* v. arte locum, B.

16. Praxitelem *propria* vindicat urbe lapis, G.

42. palladiæ -- *artis*, B. *artis opus*, G.

44. *dure* poeta, B. G.

45. Hæc *curant pueros*, hæc *curant* s. *puel-*

las, B. Hæc *curent pueros* -- *curent* -- *puellas*, G.

Lib. III, Eleg. X.

v. 6. unda *minax*, B. lectio admodum elegans, &, ut videtur, vera.

8. Et *Niobes* --- ipse *suas*, G.

20. *Luserit* & tota, G.

32. *ter sic* peragamus, G.

Lib. III, Eleg. XI.

v. 5. Venturam --- *mortem*, G.

13. Ausa --- *oppugnante*, G.

14. *Injectis* danaûm, G.

23. *missi* per mœnia currus, B. G.

27. raptem in crimine, B.

40. *adusta* nota, B.

49. Si m. *capienda* fuit, B. *Sed* mulier patienda, G.

57. toto quæ præsidet orbi, B.

58. *in arte* minas, G.

65. Hæc dii *condiderant*, G.

Lib. III, Eleg. XII.

v. 10. Hæc *utinam* virtus, G.

17. Quid *faciat*, B.

28. alternas --- aquas, G.

29. *Lampathiæ sciticis*, G.

f 2

30. filia *Lampathiæ*, G.
35. *lecto* renovasse, B.
37. *Hæc* frustra, G.

Lib. III, Eleg. XIII.

v. 2. Et *Venerem* exhaustæ, G.
10. *Icariote*, G.
23. *Hoc* genus, G.
26. Divitiæ *quarum*, G.
27. Illis *munus erant*, B.
33. *Hisdem* blandiciis, B.
35. *Atque hinuli* pellis, G.
37. lentas --- umbras, B.
39. Corniger *atque dei*, G.
42. *vestris* --- focis, B.
51. Torrida --- *limina*, G.
53. *aurigero* -- vertice, B. G.
53. diras nives, B.
54. parnasus, B.
55. *Et* scelus, G.

Lib. III, Eleg. XIV.

v. 3. non infames --- *laudes*, G.
5. *velocis* --- *jactus*, B.
12. *protegit* ære caput, G.
14. *Termodoontiacis*, G.
17. & castor *habenis*, B. G.

Digitized by Google

27. *Nec* tyriæ, G.
28. odoratæ --- domi, B.
31. Nec *quæ* sint *ſociæ*, B. Nec quæ *ſit* facies, G.
33. si *jure* fores *pugnas inimica*, G.

Lib. III, Eleg. XV.

v. 3. *prætexta* pudor est velatus *amicus*, B.
7. Tertius *aut* multo --- *dicitur* annus, G.
14. *immittens finxit* in ora, B.
19. *numquam* succurris, B.
21. Si deus *&* --- tuam *ſervare* p. G.
22. *Invocat* --- *victa*, G.
33. Littore *ſic* tacito, G.
46. Te solam *ex* lignis, G.

Lib. III, Eleg. XVI.

v. 4. nympha aniena, B.
9. *Peccaram* semel, G. sum *paſſus*, B.
12. *ſcilicet* ire, G.
16. amor *pertulit*, G.
29. tumulus vallatus, G.

Lib. III, Eleg. XVII.

v. 2. Da mihi paccato, G. --- al. *bacchato*
12. *animo* versat utroque *meo*, B.

Lib. III, Eleg. XVIII.

v. 1. *Claudus* ab umbroso, B.
2. Humida bajarum *ſigna*, B.
6. *increpuere*, B.
9. *Bis* preſſus, G.
25. *caſtus* ſe condat, B.
27. *Nerea* non facies, G.

Lib. III, Eleg. XIX.

v. 2. imperat *iſta*, B. imperat *illa*, G.
9. reprendere curſus, B. in marg. *compeſcere*
12. *abiegno --- bovi*, B. G.

Lib. III, Eleg. XX.

v. 4. *Tantiſne* in *lacrimis* B.
6. Forſitan ille *alia*, G. amore *teras*, B. G.
13. Tu quoque, qui *&c.* G.
11. Nox mihi prima, *&c.* G. *ordine præpoſtero.*
17. *cedent* ſermonibus, B. G.
23. ſolvit *nox*, G.
24. *omnia* prima, B. G.
25. Ergo qui *pactas*, G.

Lib. III, Eleg. XXI.

v. 7. ſæpe *negarit*, G.
8. dormit *amica*, B. G.

11. in *æquore*, B.
14. *secundet* iter, B.
22. arcet utrumque mare, B.
32, tacito --- sinu B.

Lib. III, Eleg. XXII.

v. 1. placuit tibi *circiter*, B.
4. qua via, B.
15. Si *qua origę*, B.
23. Hic anio *tiburine*, G.
27. *lambuntur* ventre, G.
28. nec *fuit* unda, G.
32. matre movente, B. G.
35. *non* valuit, G.
36. dedecorare *bovi*, G.
37. Arboreasque cruces *sænis non*, G.
38. Saxaque *curvantes*, G.

Lib. III, Eleg. XXIII.

v. 13. *At* tibi nescio quæ, G.
15. Aut dixit *venies* hodie *cessavimus ima*; G.
17. *dolens* reperit, B.
20. *diras* --- ephemeridas, G.
22. *signa* retenta, G.

Lib. III, Eleg. XXIV.

v. 6. esse putaret, G. -- al. *sæpe*
19. si qua *deo &*, G. in sacraria *dono*, B.
20. *Exciderant*, B.

Lib. III, Eleg. XXV.

v. 1. *Viſus* eram, G.
8. non sinis *ire*, B. G.
13. tum *cupias*, B.
15. inque *vices*, G.
17. Has tibi *fatalis*, G.

Lib. IV, Eleg. I.

v. 1. *quam* maxima roma est, B.
2. *ænean*, B.
4. concubuere boves, B.
5. Fictilibus crevere *suis*, G.
20. Qualia nunc curto, G. -- al. *curvo*
29. posuit prætoria lygmon, B. ligmon, G.
31. luceresque. *soloni*, G.
33. minus urbe *violæ*, B. G.
36. *Ac* ubi fidenas longe *erit iste vias*, B. longe erat *ipse* via, G.
38. *non putet* esse lupam, G.
40. *Heu* quali *vecta* est, G.
41. tunc *omnia*, B. G.

43. *Tam* pater, B. *Tum* pater -- *trepidus*, G.
44. *verere* flamma, G.
52. *Longævi* ad priami B.
57. *coner* disponere, B. G.
65. Scandentes si quis *cernit*, B. G.
68. *Omnia* & incœptis, G.
71. vaga dicere *verba* properti, B. dicere *fata*, G.
72. a *dextro* -- colo, G.
73. *Accerſis lacrymis cantas*, B. *Accerſis lacrymis cantus*, G.
74. *Poſcis ab*, B. G.
77. Me creat -- *Orops*, G.
78. *Horon*, G.
79. Dii mihi *ſint* testes non *degeneraſſe* propinquos, G.
91. sua *fila* referre, G.
94. Heu *tibi* prolapso, G.
96. *ſigna* cruenta, G.
101. *Junonis facite votum*, G.
103. Hoc neque -- libiæ, G.
104. Aut *ubi* commissos, G.
105. *ſenſerat* alas, G.
106. Umbra *neque magicis*, B.
107. *verus*que per astra, G.
117. Victor *o biliace*, G.
119. *devear*, B. *devebar*, G.
123. *Quin* nebulosa, G.

125. *Scandentis*, *asis*, B. *consurgas*, G.

131. bulla -- dimissa est, B.

137. *patiare* sub armis, B. G.

140. *Eludit* palmas, B. G.

141. Et bene *confixum merito*, G. *discusseris* uncum, B G.

142. *Nihil* erit *nostro* te *premat ansa*, G.

146. *prima* sat est, G.

Lib. IV, Eleg. II.

v. 4. *Volscanos* -- focos, B.

5. *Nec* me turba, G.

11. *fructus percepimus*, B.

15. autumnalia *poma*, G.

18. Cum *prius*, G.

22. In *quæcumque*, G.

28. Corbis *in* imposito, B. G.

30. vina subisse, G.

35. & *elus*, G.

41. maxima *cura*; G.

50. *tuscus* nomina *vicus* habet, G.

51. *licomedius*, G.

58. ultima *creta*, B. ultima *certa*, G.

63. tam *docilis* -- in usus, G.

Lib. IV, Eleg. III.

Epistola Arethusæ ad Licotem, G.

v. 8. *Tu* modo *munitus*, G.

11. & *pacatæ* mihi noctes, B. & *pacte ne* mihi, G.

12. Quom rudis *ingenti*, G.

13. *protulit* illa, G.

21. obliquo -- *orno*, B.

23. *dum* teneros, G.

27. *collum* tenuasse, G.

43. nuda -- *mamilla*, G.

55. *Graucidos* & catulæ, B. G.

56. vindicat una *thoro*, G.

62. *Succincteque* -- popæ, G.

Lib. IV, Eleg. IV.

v. 4. *Multaque* nativis, G.

6. ire *videbat*, G.

12. Romano -- *foco*, G.

34. *conspicor*, B. *arma taci*, G.

42. *stamina certa* via, G.

48. *cape* spinosi rorida, G.

55. hospes *patriam nec te*, G.

57. *Si* minus, B. *Si* minus *aut*, G.

61. fera *munera corde*, G.

64. sidera lassa, G.

68. Nescia *nefariis*, B. *nephariis*, G.

71. *Thermodoonta*, B.

76. madent -- *divitiis*, G.

83. ascensu *dubio*, B.

Lib. IV, Eleg. V.

v. 6. *proxima* semper avis, B.

11. Quippe & *cohirias*, G.

15. *Posset &c*, B. G. *asta certare*, G.

19. *Exorabat* opus -- *peruret*, G.

20. Saxosamque *feras*, G.

21. *dorozantum*, B. Si te *deroratum eoa* juvat, G.

28. *Frangent* damnosæ, G.

30. *recurrit* amor, G.

32. *tempus emendus*, G.

34. puros *sideris* esse dies, B. G.

39. colla *jacentes*, G.

43. thais *speciosa*, B.

53. Aurum spectato *&c*.

Quid juvat ornato procedere vita (victa) capillo

Et tenues choa veste movere sinus, B. G.

55. Qui versus *choe* dederit, G. (*Superius distichum ex Elegia* 2, *lib.* 1, *ad oram paginæ, illustrandæ vocis* Coæ *gratia, hic ab aliquo appositum, imperitus, aut oscitans librarius in textum fortassis invexerit.*)

58. *nec* quid cras libet ab ore dies, G.

61. *Hic animus*, G.

62. *Per tenues ossa sunt numerata cutes*, B. G. *nothus versus, a nebulone aliquo fictus ad lacunam explendam.*

68. *pergula curva*, B. *pocula curva*, G.

69. Exequiæ *fuerant*, G.

71. canis -- *exporrecta*, G.

72. *cultra* forent, B. G.

Lib. IV, Eleg. VI.

v. 1. Sacra *facis* -- *sunt*, G.

3. *philippeis* corimbis, B.

9. alio *sunt* aere, G.

11. Musa Palatini, &c. G.
Ad Musas de Templo Apollinis in monte Palatino, ubi nunc est templum Sanctæ Sabinæ. G. *In plerisque codd. hinc incipit nova Elegia.*

11. *referemus*, B.

12. digna *furore*, G.

25. *aciem* geminos *pineus*, G.

27. Quom phœbus *stantem linquens se judice delo*, G.

28. mobilis *unda*, B.

48. Terreat, *&* *multo*, G.

59. At pater -- *miratur*, G.

Digitized by Google

67. Actius hinc -- *phœbi*, G.

72. *Blanditiæ* fluant, G.

74. spica *calissa*, G.

75. Ingenium *positis*, G.

78. *Cæphean* hic *miroin* -- *segna*, G.

81. Sive *aliquis*, G.

Lib. IV, Eleg. VII.

v. 4. *Murmur* ad extremæ, G.

5. Quum mihi somnus ab exequiis penderet *amoris*, B. Quom mihi *ab exequiis somnus* penderet *amoris*, G.

7. 8. *Hosdem*, *Hosdem*, G.

15. *exciderant*, B. G. *tecta* Suburæ, G.

16. *certa* fenestra, B.

20. Fecerunt *trepidas*, G.

23. inclinavit *euntis*, B. G. *statim post hoc distichum sequitur illud:* Nec crepuit fissa, &c.

25. Nec crepuit *fixa*, G.

29. at *illuc*, G.

33. grave *erit*, G.

46. ausa *negare*, G.

48. *Ardent ex* nostro, G.

51. *revolubile* carmen, B. G.

59. parta *phasello*, G.

61. qua que*ritur ut unda cibeles*; B.

Digitized by Google

64. hiſtoriæ pectora nota ſuæ, B.
65. Hæc *ſumma æternis*, G.
69. Sic *mortis vitæ lacrimis*, G.
74. *Parthen iæ potuit*, G.
82. herculeo *nomine*, G.
83. *Hic* carmen, B. G.
84. quod *currus* vector, G.
95. ſub *lite*, B. G.

Lib. IV, Eleg. VIII.

v. 4. tam raræ -- moræ, G.
6. Qua *penetrat* virgo, B.
15. avecta eſt cynthia *ab annis*, B. G.
23. *Syriganã tacto volſci* carpenta *nepoti*, B.
26. *craſſas* -- genas, B. ſequitur in Guarneriano, eodem contextu, *Quom fieret toties*, &c. Ab hoc autem diſticho incipit alia Elegia: *Phyllis aventinæ* &c.
28. *Mulctato*, *voluit*, B. *Mulctatoque voluit*, G. Bon. cod. ab hoc diſticho inchoat aliam Eleg.
37. *utri*que æſtiva, G.
38. *græca* ſaliva, B. G.
41. *Magnus* & ipſe, B. G.
54. *Palluerantque* ipſo, G.
57. iratos --- *ignes*, G.
58. teja *vocabat aquas*, G.
61. *Illam* direptiſque, G.

67. *laxavit* brachia, B.

68. *fuſca* ſiniſtra latens, G.

71. ad fœdera *venit*, B. G.

72. *Quoi* vix, B.

77. *oblita* theatrum, B.

78. *ſudet aperta*, B. operta, G.

84. *Sufficiat* pura, B. G.

85. *lucernas*, G.

87. *Aſt* ita, B.

88. *Reſpondi* & toto, G. -- al. *deſpondi*

Lib. IV, Eleg. IX.

v. 2. o *Eritbee*, G.

9. *metuendus* raptor, B.

21. *torquet* ſitis, G.

26. *Impune nullis*, G.

34. hoſpita *vana viis*, B.

35. *circa*que ſonantia, B. G.

41. uni-*homini*, B. G. ſequitur in utroque codice: *Accipit bæc feſſo vix mihi terra patet*. inepte, ad lacunam tantum explendam. hic verſus infra legitur ſuo loco.

43. *Quid* ſi, G.

48. *lydo* colo, B. *lydo*, G.

56. *Qua* ſe, G.

57. *Magnam* tireſias, B.

73. *Hunc*

73. *Hunc* quoniam, B. *ſanxerat*, B. *pugnatum ſenſerat*, G.

Lib. IV, Eleg. X.

v. 4. *e* facili, G.

6. Hujus & *eximio*, G.

7. *acrouta* petentem, B. *cœninum acronta*, G.

8. Victor *nec verſum*, B. G.

9. *cœcina*, G.

13. *librantem* ſpicula, B. G.

14. ante *ratos*, G.

21. Picta *neque*, B. G. ſulgebat *flammā*, G.

26. jugera *terra*, B.

27. Et *veri* veteres & vos tum, G.

30. *arma* metunt, G.

32. *fractus* ab urbe, B.

34. *Vinea qua ductum*, B. G.

35. *concurrite*, campo, B.

37. *decepta* tolumni, G.

41. *Vis Romani* genus, G.

42. *Mobilis erepti-cæſa*, G.

43. *jurgatis* -- *ab agmine* braccis, G. -- al. *inguine*.

Lib. IV, Eleg. XI.

Epigramma Corneliæ Pauli Uxoris, G.

v. 4. Non *exoratæ*, B.

8. erbosos - rogos, G.

13. *Non* minus, B.

14. *Et* sum -- *legatur* onus, G.

18. *Da* pater, G.

20. In mea -- vindicet ossa, G.

26. *laxa* catena, G.

30. *Era* numantinos, B. *Æra*, G.

38. affrica *tunsa* jaces, B. G.

39. Et persen *stimulantem*, B. G.

48. *Nec possit*, melior, B.

50. Turpior *ascensu*, G.

52. *Gaudia* turritæ, G.

53. Vel *cujus Jason* quom *veste*, G.

58. Defensa & gemitu, G.

67. censuræ nata paternæ, B.

81. Sat tibi *sunt*, G.

82. *tradita* sæpe, G.

84. verba *tace*, G.

97. *Si* bene habet -- *sumtum*, G.

102. *Quovis* honoratis, G. ossa vehantur *aquis*, B. G.

Propertii Aurelii Naute liber explicit, G.

Ad oram paginarum Codicis Bononiensis

apposita sunt Elegiis plerisque disticha argumentum continentia; quorum specimen exhibemus.

Eleg. V, Lib. I.

Ostendit quantos patieris, Galle, labores,
Si pergis dominæ subdere colla suæ.

Eleg. VI, Lib. I.

Audeat Ægæas Tullo comes ire per undas:
Sed dominæ retinet imperiosus amor.

Reliqua omittimus; nam neque legi potuere, litteris evanescentibus, nec erat operæ illa proferre, ob exiguam vel nullam utilitatem.

c

LOCA IN ELEGIIS
PROPERTII
DE QUIBUS
JO. ANTONIUS VULPIUS

præcipue bene mereri conatus est, Lectoribus indicata.

AD LIBRUM I.

ELeg. 1, v. 5, 12, 30, 31, 36.
Eleg. 2, v. 4, 6, 8, 26, 29.
Eleg. 3, v. 6, 15, 24, 36, 41, 42.
Eleg. 4, v. 9, 10, 14, 16, 23, 24.
Eleg. 5, v. 4, 15, 18.
Eleg. 6, v. 20, 22, 25, 26, 31, 32, 34.
Eleg. 7, v. 1, 8, 9, 11, 26.
Eleg. 8, v. 9, 11, 17, 20, 27, 36, 38.
Eleg. 9, v. 4, 7, 11, 15, 23, 29, 30.

Digitized by Google

Eleg. 10, v. 24.
Eleg. 11, v. 1, 6, 12, 21, 29.
Eleg. 12, v. 2, 4, 8.
Eleg. 13, v. 8, 21, 28.
Eleg. 14, v. 4, 13, 14, 17, 22.
Eleg. 15, v. 15, 24, 28, 29, 37.
Eleg. 16, v. 1, 2, 9, 12, 13, 16, 24, 28, 38, 44.
Eleg. 17, v. 1, 3, 14.
Eleg. 18, v. 2, 3, 9, 15.
Eleg. 19, v. 18, 19.
Eleg. 20, v. 3, 4, 5, 10, 27, 29, 35, 41.
Eleg. 21, v. 5, 7.
Eleg. 22, v. 1, 2.

AD LIBRUM II.

Eleg. 1, v. 5, 9, 38, 42.
Eleg. 2, v. 9.
Eleg. 3, v. 28, 37, 45.
Eleg. 4, v. 4.
Eleg. 5, v. 5, 15, 34.
Eleg. 6, v. 1.
Eleg. 7, v. 7, 14.
Eleg. 11, v. 1, 2, 3.
Eleg. 12, v. 1, 2, 20.
Eleg. 13, v. 15, 17, 25, 49.
Eleg. 14, v. 12, 29.

Digitized by Google

Eleg. 15, v. 5, 8, 12, 13, 17, 28, 32, 41, 44, 50, 54.
Eleg. 16, v. 11, 12, 25, 27, 56.
Eleg. 19, v. 17, 18, 21.
Eleg. 20, v. 7, 11, 16, 31.
Eleg. 21, v. 5, 12.
Eleg. 22, v. 25.
Eleg. 23, v. 8, 11.
Eleg. 24, v. 1, 8, 11, 36, 47.
Eleg. 25, v. 35, 36, 42.
Eleg. 26, v. 17, 21.
Eleg. 27, v. 15.
Eleg. 28, v. 4, 26, 35.
Eleg. 29, v. 21, 30.
Eleg. 30, v. 21, 23.
Eleg. 31, v. 5.
Eleg. 32, v. 6, 30, 32.
Eleg. 34, v. 18, 26, 29, 30, 46, 55, 74, 79, 91.

AD LIBRUM III.

Eleg. 3, v. 1.
Eleg. 4, v. 5, 22.
Eleg. 5, v. 27, 34, 45.
Eleg. 7, v. 60.
Eleg. 8, v. 35.
Eleg. 9, v. 2.

Digitized by Google

Eleg. 10, v. 23.
Eleg. 11, v. 5, 6, 9, 29, 51, 67, 70.
Eleg. 12, v. 12, 18.
Eleg. 13, v. 5, 10, 62.
Eleg. 15, v. 3, 12, 18.
Eleg. 18, v. 18, 29, 33, 34.
Eleg. 21, v. 1, 27, 28.
Eleg. 22, v. 5, 6, 27, 33.
Eleg. 23, v. 5, 19, 20, 23.
Eleg. 24, v. 1, 13, 18.

AD LIBRUM IV.

Eleg. 1, v. 11, 17, 29, 32, 33, 36, 54, 71, 77, 78, 81, 82, 88, 89, 94, 102, 131, 139, 140, 141, 142, 150.
Eleg. 2, v. 3, 4, 35, 36, 40, 47.
Eleg. 3, v. 12, 21, 28, 32, 38, 39, 51, 52, 54, 63.
Eleg. 4, v. 46, 56, 60, 63, 94.
Eleg. 5, v. 2, 4, 12, 16, 20, 24, 26, 28, 36, 45, 46, 49, 52, 56, 63, 64, 70.
Eleg. 6, v. 10, 21, 25, 27, 47, 49, 51, 53, 82, 86.
Eleg. 7, v. 3, 11, 25, 31, 56, 64, 81.
Eleg. 8, v. 3, 4, 16, 21, 25, 26, 35, 37, 45, 46, 48, 57.

Eleg. 9, v. 7, 57.
Eleg. 10, v. 8, 16, 19, 30, 43.
Eleg. 11, v. 13, 14, 18, 24, 28, 38, 39, 43, 50, 55, 61, 62, 66, 69, 70, 86, 97, 101, 102.

SEXTI

Digitized by Google

SEXTI AURELII

PROPERTII

CYNTHIA MONOΒΙΒΛΟΣ.

LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

Se Cynthiæ amore irretitum nulla arte potuisse intra annum integrum ejus sævitiem emollire.

CYnthia prima suis miserum me cepit ocellis
Contactum nullis ante Cupidinibus.
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus.
Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, & nullo vivere consilio.
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
Quum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores

Sævitiam duræ contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille videre feras.
Ille etiam Hylæi percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam.
Tantum in amore preces, & benefacta valent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes:
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis:
En agedum dominæ mentem convertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
Posse Cytææis ducere carminibus.
Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, sævos patiemur & ignes:
Sit modo libertas, quæ velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis & in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore desit Amor.
Hoc, moneo, vitate malum. sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.

Quod si quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

ELEGIA II.

Nimium luxum, pompamque ornamentorum in Cynthia reprehendit; tum, quod per ea naturalis pulchritudo minuitur; tum, quod non luxuria, sed pudicitiæ fama & conquirendi, & tenendi sint amantes; tum, quod decora sint alia Cynthiæ, ingeniique laudes, quibus allicere animos possit.

QUid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus mercato perdere cultu?
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ est.
Nudus Amor formæ non amat artificem.
Adspice quot submittat humus formosa colores,
Ut veniant hederæ sponte sua melius:
Surgat & in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias:
Litora nativos per se dent picta lapillos,
Et volucres nulla dulcius arte canant.

Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,
  Pollucem cultu non Hilaira soror.
Non Idæ, & cupido quondam discordia Phœbo
  Eveni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
  Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
  Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes.
  Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis.
  Uni si qua placet, culta puella sat est.
Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
  Aoniamque libens Calliopea lyram:
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
  Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat.
His tu semper eris nostræ gratissima vitæ,
  Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

Digitized by Google

ELEGIA III.

Ventitasse ad Cynthiam se narrat, intempesta nocte, eamque dormientem invenisse; ab ea vero experrecta, se, quod tardius venerit, objurgatum fuisse.

Qualis Thesea jacuit cedente carina
Languida desertis Gnosia litoribus:
Qualis & accubuit primo Cepheia somno,
Libera jam duris cautibus Andromede:
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia non certis nixa caput manibus.
Ebria quum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego nondum etiam sensus deperditus omnes
Molliter impresso conor adire toro.
Et quamvis duplici correptum ardore juberent
Hac Amor, hac Liber, durus uterque deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto;
Osculaque admota sumere ad ora manu:
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens verbera sævitiæ.
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,

Digitized by Google

Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus.
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.
Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono sæpe voluta sinu.
Et quoties raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio:
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam.
Donec diversas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait in molli fixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens injuria lecto
Alterius clausis expulit e foribus.
Namque ubi longa meæ consumsti tempora noctis
Languidus, exactis, hei mihi, sideribus?
O utinam tales producas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes.
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus & Orpheæ carmine fessa lyræ.
Interdum graviter mecum deserta querebar
Externo longas sæpe in amore moras:
Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima cura meis.

Digitized by Google

E L E G I A IV.

Frustra se a Basso sollicitari, ut ab amore Cynthiæ desiliat. Nec abs se id fieri posse ob insignes animi puellæ suæ, incomparabilesque corporis dotes, idque Basso ipsi conciliaturum Cynthiæ odium implacabile.

QUid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitæ quodcumque sequetur,
Hoc magis assueto ducere servitio?
Tu licet Antiopæ formam Nyсteidos, & tu
Spartanam referas laudibus Hermionen,
Et quascumque tulit formosi temporis ætas,
Cynthia non illas nomen habere sinet.
Nedum, si levibus fuerit collata figuris
Inferior duro judice turpis eat.
Hæc sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat.
Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacita ducere veste libet.
Quo magis & nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non impune feres. sciet hæc insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.

Digitized by Google

Nec tibi me post hæc committet Cynthia, nec te
  Quæret: erit tanti criminis illa memor.
Et te circum alias omnes irata puellas
  Differet: heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
  Et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
  Quam sibi quum rapto cessat amore deus.
Præcipue nostri. maneat sic semper, adoro:
  Nec quidquam ex illa, quod querar, inveniam.

ELEGIA V.

Gallum, nobilem quemdam virum, conantem irrepere in Cynthiæ amorem ab incœpto deterret, comminatione malorum, quæ perpessurus est amore correptus.

INvide tu tandem voces compesce molestas,
  Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis insane? meos sentire furores?
  Infelix! properas ultima nosse mala.
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
  Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis conlata puellis:
  Molliter irasci non sciet illa tibi.
Quod si forte ausis non est contraria nostris,

At tibi curarum millia quanta dabit?
Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos.
Illa feros animis adligat una viros.
Ah mea contemtus quoties ad limina curres,
Quum tibi singultu fortia verba cadent:
Et tremulus mœstis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam:
Et quæcumque voles fugient tibi verba querenti:
Nec poteris, qui sis, aut ubi, noſſe miser.
Tum grave servitium nostræ cogêre puellæ
Discere, & exclusum quid sit abire domum.
Nec jam pallorem toties mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
Nescit Amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parva tuæ dederis vestigia culpæ,
Quam cito de tanto nomine rumor eris?
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Quum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quærere: non impune illa rogata venit.

ELEGIA VI.

Tullo, proficiscenti cum imperio in Asiam, & comitem viæ sibi Propertium deposcenti se iturum negat Poeta, dolorem Cynthiæ, vimque amoris sui caussatus.

NON ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Ægæo ducere vela salo:
Cum quo Riphæos possim conscendere montes,
Ulteriusque domos vadere Memnonias.
Sed me complexæ remorantur verba puellæ,
Mutatoque graves sæpe colore preces.
Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum.
Versibus auditis quid, nisi verba, feres?
Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine ære lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
Sub matutino cocta jacere Noto.
His animum nostræ dum versat Acanthis amicæ,
* * * * * *
Sed cape torquatæ, Venus o regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cavos:
Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas.
Horruit algenti tegula curta foco.
Exsequiæ fuerunt rari furtiva capilli
Vincula, & immundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Quum fallenda meo pollice claustra forent.
Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo:
Urgeat hanc supra vis, caprifice, tua.

Digitized by Google

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mixtaque cum saxis addite verba mala.

ELEGIA VI.

Actiacam Augusti victoriam, auspiciis Phœbi reportatam, Cleopatræ fugam, mortemque magnifico carmine celebrat.

SAcra facit vates, sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Serta Phileteis certent Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna ministret aquas.
Costum molle date, & blandi mihi turis honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio sint aere noxæ:
Pura novum vàti laurea mollit iter.
Musa, Palatini referamus Apollinis ædem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina: Cæsar
Dum canitur, quæso, Juppiter, ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ,
Actia Julææ pelagus monumenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.

Digitized by Google

Huc mundi coiere manus. stetit æquore moles
  Pinea, nec remis æqua favebat avis.
Altera classis erat tenero damnata Quirino,
  Pilaque feminea turpiter apta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
  Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus:
  Armorum radiis picta tremebat aqua.
Quum Phœbus linquens stantem se vindice Delon,
  (Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Adstitit Augusti puppim super; & nova flamma
  Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos,
  Aut testudineæ carmen inerme lyræ:
Sed quali adspexit Pelopeium Agamemnona vultu,
  Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
  Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait, O longa mundi servator ab Alba
  Auguste, Hectoreis cognite major avis:
Vince mari, jam terra tua est: tibi militat arcus,
  Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quæ nunc te vindice freta
  Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
  Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent, proh turpe, Latinis

Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ Centauros saxa minantes:
Tigna cava, & pictos experiere metus.
Frangit, & attollit vires in milite caussa:
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, & pharetræ pondus consumit in arcus.
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phœbi, dat femina pœnas.
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus; en nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinæ
Plauserunt circa libera signa deæ.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum jusso non moritura die.
Dii melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias?
Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
Victor, & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditæque fluant per mea colla rosæ:

Digitized by Google

Vinaque fundantur prælis elisa Falernis,
  Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis.
  Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros,
  Cepheam hic Meroen, fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum fœdere Parthum:
  Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
  Differat in pueros ista tropæa suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
  Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
  Injiciat radios in mea vina dies.

ELEGIA VII.

Apparuisse sibi jam defunctæ Cynthiæ suæ umbram, conquestamque graviter, quod funus suum neglexisset, quodque novam sibi amicam legisset, tum quædam mandata dedisse.

SUnt aliquid manes: letum non omnia finit:
  Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremæ nuper humata viæ:
Quum mihi somnus ab exsequiis penderet amaris,

Digitized by Google

Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethæus triverat ora liquor.
Spirantisque animos, & vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
In te jam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburæ,
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!
Sæpe Venus trivio commissa, & pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Fœderis heu taciti, cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit hiantes.
Unum impetrassem te revocante diem.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Læsit & abjectum tegula curta caput.
Denique quis nostro furvum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere; at illud
Jussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?

Digitized by Google

Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, & fracto busta piare cado?
Lygdamus uratur, candescat lamina vernæ.
(Sensi ego, quum insidiis pallida vina bibi.)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quæ modo per viles inspecta est publica noctes,
Hæc nunc aurata cyclade signat humum.
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula sentit anus.
Cæditur & Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meæ conflavit imaginis aurum,
Ardenti e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis merearе, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
Tergeminumque canem: sic mihi molle sonet:
Me servasse fidem. si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytæmnestræ stuprum vehit, unaque Cressæ
Portat mentitæ lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,

Digitized by Google

Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:
Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque, & Hypermnestre sine fraude maritæ
Narrant historiæ pectora nota suæ.
Hæc sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores:
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitæ solamur amores.
Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Doridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab usu,
Ne speculum dominæ porrigat illa novæ.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi. laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
Et numquam Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra.
Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.

Digitized by Google

Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
  Quum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur. Nox clausas liberat umbras,
  Errat & abjecta Cerberus ipse sera.
Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti.
  Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliæ: mox sola tenebo.
  Mecum eris, & mixtis ossibus ossa teram.
Hæc postquam querula mecum sub lite peregit,
  Inter complexus excidit umbra meos.

ELEGIA VIII.

Parum honestum Cynthiæ iter, Lanuvii sacra Junonis visuræ, seque in externo amore deprehensum, & male ab eadem mulctatum describit.

DIsce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
  Quum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,
  Hic ubi tam raræ non perit hora moræ.
Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,
  Qua penetral, (virgo, tale iter omne cave.)
Jejuni serpentis honos, quum pabula poscit
  Annua, & ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ:
  Quum tenera anguino creditur ore manus.

Digitized by Google

Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
  Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum;
  Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.
Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis:
  Caussa fuit Juno, sed mage caussa Venus.
Appia dic, quæso, quantum te teste triumphum
  Egerit, effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit quum rixa taberna:
  Si sine me, famæ non sine labe meæ.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  Ausa per impuros frena movere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
  Atque armillatos colla Molossa canes.
Qui dabit immundæ venalia fata saginæ,
  Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Quum fieret nostro toties injuria lecto,
  Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ,
  Sobria grata parum: quum bibit, omne decet.
Altera Tarpejos est inter Teia lucos,
  Candida; sed potæ non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
  Et Venere ignota furta novare mea.
Unus erat tribus in secreta lectulus herba.
  Quæris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique æstiva supellex,

Digitized by Google

Et Methymnæi Graja saliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotaliſtria Philis,
Et facilis ſpargi munda ſine arte roſa.
Nanus & ipſe ſuos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque ſuppletis conſtabat flamma lucernis,
Recidit inque ſuos menſa ſupina pedes.
Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos
Semper damnoſi ſubſiluere canes.
Cantabant ſurdo, nudabant pectora cæco.
Lanuvii ad portas heu mihi ſolus eram:
Quum ſubito rauci ſonuerunt cardine poſtes,
Et levia ad primos murmura facta lares.
Nec mora, tum totas reſupinat Cynthia valvas,
Non operoſa comas, ſed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remiſſos,
Palluerunt ipſo labra ſoluta mero.
Fulminat illa oculis, & quantum femina ſævit.
Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum conjicit ungues:
Territa vicinas Teia clamat aquas.
Lumina ſopitos turbant elata Quirites,
Omnis & inſana ſemita nocte ſonat.
Illas direptiſque comis, tuniciſque ſolutis,
Excipit obſcuræ prima taberna viæ.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
Et mea perverſa ſauciat ora manu:

Imponitque notam collo, morsuque cruentat:
Præcipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi jam nostris lassavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Exuitur, geniumque meum prostratus adorat.
Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,
Quum vix tangendos præbuit illa pedes.
Atque ait, Admissæ si vis me ignoscere culpæ,
Accipe, quæ nostræ formula legis erit.
Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra,
Nec quum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuæ sidat operta moræ.
Lygdamus in primis omnis mihi caussa querelæ
Veneat, & pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. respondi, Ego legibus utar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcumque locum externæ tetigere puellæ,
Suffiit, & pura limina tergit aqua.
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita mutato per singula pallia lecto,
Et sponda, & toto solvimus arma toro.

ELEGIA IX.

Herculem, ubi ab Hispania Gerionis boves secum deduxisset in Latium, Cacum interfecisse: hinc Fori Boarii nomen, Aræque Maximæ venerationem fluxisse Poeta commemorat.

AMphitryoniades qua tempestate juvencos
  Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad invictos nemorosa Palatia montes,
  Et statuit fessos fessus & ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
  Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
  Incolumes: furto polluit ille Jovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
  Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
  Aversos cauda traxit in antra boves.
Nec sine teste deo. furem sonuere juvenci:
  Furis & implacidas diruit ira fores.
Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
  Cacus: & Alcides sic ait, Ite boves,
Herculis ite boves, nostræ labor ultime clavæ,
  Bis mihi quæsitæ, bis mea præda boves:

Digitized by Google

Arvaque mugitu sancite boaria longo.
   Nobile erit Romæ pascua vestra forum.
Dixerat, & sicco torret sitis ora palato,
   Terraque non ullas fœta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
   Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineæ loca clausa deæ, fontesque piandos,
   Impune & nullis sacra retecta viris.
Devia puniceæ velabant limina vittæ:
   Putris odorato luxerat igne casa.
Populus & longis ornabat frondibus ædem:
   Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
   Et jacit ante fores verba minora deo:
Vos precor o luci sacro quæ luditis antro,
   Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis.
   Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
   Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ?
   Et numquam ad notas irrita tela feras?
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?
   * * * * * *
Quod si Junoni sacrum faceretis amaræ,
   Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, setæque leonis
Terrent,

Digitized by Google

Terrent, & Libyco sole perusta coma:
Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colu.
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos,
Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis, hospes, lucoque age cede verendo:
Cede agedum, & tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quæ se summota vindicat ara casa.
Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Dii tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus: ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia jura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: hæc fesso vix mihi terra patet.
Maxima quæ gregibus devota est Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Hæc nullis umquam pateat temeranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.

Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum Tatii composuere Cures.

ELEGIA X.

Unde Feretrius Juppiter dictus fuerit, quæque opima spolia ei dicata sint, refert, occasione templi Jovis ejusdem ab Augusto instaurati dedicatique.

NUNC Jovis incipiam caussas aperire Feretri,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter adscendo, sed dat mihi gloria vires.
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
Hujus, & exuviis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Cæninum Acrona petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Cænina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Juppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat, & spolium corruit ille Jovi.
Urbis virtutisque parens sic vincere suevit,

Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta comta lupina juba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
Præbebant cæsi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Vejentis cæde TolumnI,
Vincere quum Vejos posse laboris erat.
Necdum ultra Tiberim belli sonus: ultima præda
Nomentum, & captæ jugera pauca Coræ.
Et Veji veteres & vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portæ dux Veius adstitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, plano sistit uterque gradum.
Dii Latias juvere manus. desecta TolumnI
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti parma relata ducis
Virdumari. genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.

Nunc spolia in templo tria condita. caussa FeretrI,
Omine quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis humeris huc arma ferebant,
Hinc FeretrI dicta est ara superba Jovis.

ELEGIA XI.

Corneliam Paulli Æmilii Censoris uxorem immaturo obitu defunctam inducit maritum suum consolantem, suamque caussam perorantem apud inferos, eo sententiarum, verborumque splendore, ut se ipsum Poeta hac quidem in Elegia superasse videatur.

DEsine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum.
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem furvæ deus audiat aulæ,
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent superos. ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic mœstæ cecinere tubæ, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Profuit? aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?

Digitized by Google

En sum quod digitis quinque levatur onus.
Damnatæ noctes, & vos vada lenta paludes,
Et quæcumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det pater hic umbræ mollia jura meæ.
Aut si quis posita judex sedet Æacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila.
Assideant fratres. juxta Minoia sella, &
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe mole vaces. taceant Ixionis orbes.
Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras,
Et jaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquor pro me. si fallo, pœna sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropæa decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exæquat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas:
Jungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili.
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jaces:
Et Perseu proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos:

Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla
  Labe mea vestros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum:
  Quin & erat magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas: sine crimine tota est.
  Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas:
  Ne possem melior judicis esse metu.
Quælibet austeras de me ferat urna tabellas;
  Turpior adsessu non erit ulla meo.
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybebem,
  Claudia, turritæ cara ministra deæ:
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
  Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi.
  In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis, urbisque querelis,
  Defensa & gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
  Increpat: & lacrimas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
  Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, & tu, Paulle, meum post fata levamen.
  Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus & fratrem sellam geminasse curulem:
  Consule quo facto, tempore rapta soror.
Filia tu specimen censuræ nata paternæ,

Digitized by Google

Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus. mihi cymba volenti
Solvitur, auctoris tot mea fatá malis.
Hæc est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater. illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adjice matris.
Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis.
Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges:
Somniaque in faciem credita sæpe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsuræ singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
Sederit & nostro cauta noverca toro:
Conjugium, pueri, laudate, & ferte paternum.
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis. collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos:
Discite venturam jam nunc sentire senectam,
Cœlibis ad curas nec vacet ulla via.

Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paullum sic juvet esse senem.
Et bene habet. numquam mater lugubria sumsi.
Venit in exsequias tota caterva meas.
Caussa perorata est. flentes me surgite testes,
Dum pretium vitæ grata rependit humus.
Moribus & cælum patuit: sim digna merendo,
Cujus honoratis ossa vehantur equis.

F I N I S.

Digitized by Google

IN
SEX. AURELIUM PROPERTIUM
NOTÆ.

IN LIBRUM PRIMUM.

ELEG. I, v. 1 Quid est *Prima?* An, quod nullam antea Propertius amaverit? Atqui testis ipse contra se est; qui El. 1, lib. 4, fatetur, se ab aliis amatum alias redamaviſse. Dum dicit ergo, se nullis antea contactum cupidinibus, sic intelligamus, eum amasse quidem, sed leviter, ac desultorie; hæsisse vero in Cynthia.

v. 5 Sunt, qui castarum puellarum nomine Musas intelligant, quarum studia deposuerat amoris æstu correptus. Sed quomodo oderat ille, quibus tam dulces versus Amor dictabat? In eorum igitur eundum sententiam puto, quibus odium castarum puellarum idem est, atque aversatio legitimi amoris cum iis, quæ coluntur, ut conjugio socientur.

v. 9 Exemplis a mythologia petitis sævitiem Cynthiæ arguit, fatumque suum deplorat, cui nihil eorum proficit, quæ animos aliarum emolliverunt. Fabulis autem frequenter utitur, apposite autem semper, præcipue quum ad eam, & de ea scribat, quæ possidebat omnia, quæ Venus, quæque Minerva probat: quæ animadversio comprimere vel sola potest eorum temeritatem, qui nostro Poetæ vitio vertunt nimium hunc usum antiquæ, Poeticæque eruditionis. De Atalanta, & Milanione vide Ælianum lib. 3, de V. H. & Apollodorum lib. 3.

v. 17 Amor oblitus artium suarum in Propertio videtur: nec enim ad promerendum Cynthiæ amorem eum illa juvabant, quæ alios juverunt; inde desperatio Poetæ, & ad magicas artes confugium.

v. 27 Formula a militibus, gladiatoribusque petita: jurabant enim se uri, vinciri, secari esse passuros.

ELEG. II, v. 1 Quum ornatus, cultusque, quem mulieres nimia sedulitate conquirunt, caussa præcipua sit studium placendi viris, & pulchritudinis comparandæ; in eo elaborat Propertius, ut Cynthiam suam avertat ab hujusmodi nimio nitore, curaque munditiarum; tum quod hac minus placitura ratione sit, tum quod venustatem nativam sit perditura.

v. 2 Inter mulierum ornamenta bombycinæ erant vestes, pellucidæ, quæ in insula Coo texebantur, nihil in femina tectum. His indutas ἐν λεπτονήτοις ὑμέσιν ἑςώσας Comicus Eubulus vocat.

v. 5 Exemplis a variis rerum generibus repetitis, illud inculcat, naturalem pulchritudinem nimio cultu vel corrumpi penitus, vel minui.

v. 15 Eruditæ amicæ exempla objicit antiquarum heroinarum, quæ in amorem sui Deos, Heroasque induxerunt virtutis, ac pudicitiæ splendore, non fuco, & præstigiis ornamentorum. De Phœbe, & Helaira, Leucippi filiabus, quas a patre Lynceo, & Idæ, Apharei filiis, desponsatas Castor, Polluxque rapuerunt: de Marpessa, Eveni filia, quam Apollo adamavit: deque Hippodamia, a Pelope curru avecta Mythologi consulendi.

v. 25 Hujus versiculi sensus non planus est, nec expeditus. Vulpius illud *Istis* ad veteres heroinas refert, quarum supra mentionem fecerat; aitque, Poetam a se amovere suspicionem contemtus, ne forte Cynthia existimaret, se cum illis comparatam amatori sordere. Sed pace doctissimi Viri dixerim nimis longe arcessita, nihilque ad rem facere hæc interpretatio videtur. Simplicior multo, & ad universum Elegiæ scopum accommodatior explicatio est hæc. *Nunc*, hoc est, admonita his rationibus, & exemplis non vereor, ne vilescas mihi *Istis*, rebus scilicet, & cultus munditiis in posterum utendo, adjecta insuper duplici caussa; & quia satis culta sit, quum placeat ipsi Propertio; & quia animi insignia ornamenta possideat, elegantiam verborum, eruditionem, & poeticum ingenium.

ELEG. III, v. 1 Venustissimæ, Veneribusque, & Gratiis omnibus refertissimæ Elegiæ argumentum præbuit Cynthia, quam dormientem primo a se deprehensam Propertius describit, dum intempesta nocte ad eam accessisset, deinde querentem inducit, quod debitum tempus in alterius puellæ amoribus

consumsisset. Omnia ut elegantissima, sic etiam per se plana, & aliorum commentariis abunde illustrata.

ELEG. IV, v. 1 Coætanei fuere clari Poetæ duo Propertio, Ovidioque

Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambo,

ut hic lib. 4 Trist. ait. Admodum igitur probabile est, ad Bassum jamborum scriptorem hæc Propertium nostrum scripsisse.

v. 6 Quid attinebat Spartanam vocare Hermionem? an incognitum esse poterat, eam Menelai, & Helenæ fuisse filiam? Sed non otiose noster Spartanam dicit Hermionem, quemadmodum Helenam Horatius dicit Lacænam. Horatius Lacænam vocat, ut eam a patriis moribus magis degenerasse ostenderet, quæ

. . . Arsit adulteri
Crines, & aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,
Et comites,

quum tamen nihil horum simile esset apud Lacænas virgines,

Queis magis palestra, Eurota, Sol, pulvis, labor,
Militia in studio est quam fertilitas barbara,

ut ex antiquo Poeta Cicero refert Tusc. Disp. lib. 2, cap. 15. Propertius Spartanam Hermionem vocat, ut magis ejus pulchritudinem extollat, in ea urbe natæ, quam καλλιγύναικα Homerus appellat.

v. 14 Non video, quid ad rem faciat, *Gaudia ducere*: magis *Dicere*, ut apud Catullum Delicias dicere. Hoc enim inter reliqua Cynthiæ proprium vult esse Propertius, ut sciret verbis quam maxime amatoriis uti, quum, remotis arbitris, ξυνάιυς ὀαριςμὸς conserunt in lectulo, sub lodice relinquendos, ut hac ipsa de re loquitur Juvenalis Sat. 6.

ELEG. V, v. 1 Quum Gallus, opera Propertii, sese in Cynthiæ amicitiam insinuasset, deinde vero sese in amorem vertere amicitia cœpisset; eum Poeta admonet, ut ab illo desistat, ne & sibi, & amico malum, indignationemque puellæ conciliet; sibi malum, sensuro vim amoris omnem, & amaritiem: amico iram Cynthiæ, ob dolorem ex amissione veteris, carique amatoris.

v. 11 Pulchra enumeratio adfectionum amatoriarum, quam ex eleganti Sapphus Ode expressisse videtur, immo potius ex eo, quod expertus ipse fuit.

v. 24 Habebat ergo Gallus hic majorum imagines, proindeque ex gente erat nobili, honoribusque insignita. Non ergo Cor-

Digitized by Google

nelius ille Gallus potuit esse, Cytheridis amoribus, Virgilii laudibus, Augusti primum amicitia, mox odio celebris, quem novum hominem Roma suscepit. Dicamus ergo oportet, aliquem hunc esse ex nobili aut Corneliorum, aut Æliorum gente, ad quem Propertius scribit, & cujus priscas imagines memorat.

ELEG. VI, v. 1 Distractus Propertius inter amicum, patronumque suum eum sollicitantem, ut pergeret secum in Asiam, interque amorem Cynthiæ eum apud se Romæ retinentis, cedit amori tandem, seque ab itinere suscipiendo excusat, amicæ dolorem, vimque amoris sui caussatus. Profitetur ergo primum se nec timore periculorum, nec incommodis peregrinationis averti, quominus comes sit ei, quocum remotiora quoque, & ignotiora loca esset aditurus. Non absimile illud est Horatii lib. 3, Od. 4, de Musis:

Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosphorum
Tentabo, & arentes arenas
Litoris Assyrii viator.

v. 10 Recte Broukhusius, & Vulpius pro *Irato*, quod est in vulgaribus Editionibus, substituerunt, *Ingrato:* sic enim exigit sensus.

v. 17 Mire, simulque non sine caussa torquent se Interpretes in explicatione loci hujus. V. Notas Vulpii. Quid, si legamus pro *Debita*, *Oscula dedita?* ut dicat, Se abeunti Propertio oscula dedisse extrema; sed ea vento interposito intercepta fuisse.

v. 19 Tulli diversam indolem, moresque esse ait, ab amoris nequitiis ad honores, gloriamque sibi comparandam effictos. Patruus ejus Consul fuit: sed incertum, fueritne L. Volcatius Tullus, qui cum M. Lepido Consulatum iniit anno U. C. DLXXVII, an ille, qui anno DCXX collega fuit Augusti.

v. 20 Socii hi Cyziceni fuerunt, quibus Augustus libertatem ademit, quod seditione excitata Cives quosdam Romanos interfecissent: postea restituit; in quam libertatem ut restituerentur, & negotia provinciæ recte administrarentur, Tullus cum imperio missus fuit.

ELEG. VII, v. 16 Vulpius, & Broukhusius legunt *Evolvisse*, quasi Amor, ac Venus, Parcarum instar amantium fata & neant, & evolvant. Perplacet vero Justi Lipsii conjectura, qui lib. V. L. 1. cap. 4. legendum putat, *Heu! voluisse*, sine ulla literarum mutatione.

Digitized by Google

ELEG. VIII, v. 2 Vide, quot, quantisque objectis incommodis Cynthiam deterreat, ne abeat in Illyrium cum Prætore quodam, qui in ejus se insinuaverat amicitiam. Regio frigida, venti inopportuni, procellosum mare, in navi longa fortasse mora, nives, pruinæ. Fortis tamen esse poterat, & obdurare ad hæc omnia, quia, ut ille inquit, feminæ

Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.

v. 10 Amantis vota ex magna animi perturbatione concepta, ut brumæ tempora duplicentur, ut tardius Vergiliæ exoriantur, quæ in cauda Tauri positæ Mense Majo conspiciuntur, sternuntque mare navigantibus.

v. 19 Omnino adoptanda lectio Heinsii, *Ut te felici post victa Ceraunia.* Exempla enim, quæ affert Vulpius, ut probet, rectum casum pro casu accusandi adhiberi quandoque a Poetis, verbum habent aliquod, ad quod referri rectus casus possit; quod nullum est in hoc disticho Propertii.

v. 21 Fidelitatem, constantiamque in amore suam confert cum levitate Cynthiæ, ut magis, magisque illam revocet a proposito abeundi.

ELEG. IX, v. 5 Sententia est: Quum de amore agitur, experientia adeo me fecit peritum, ut certius, quam Dodoneæ illæ columbæ dicere possim a qua quis teneatur grata compede vinctus.

v. 15 Passeratius hæc refert ad facilitatem, quæ Pontico suppetebat amandi, explendique amores suos Romæ, ubi omnia plena puellarum, Venerumque parabilium. Vulpius ad conditionem ejus, quam Ponticus deperibat, quæ, quum ancilla esset, domino præsto erat, nec eum vel rejicere, vel torquere diutius poterat. Recte fortasse, si hoc ipsum commodum vim foret amoris imminuturum, vel exstincturum. Atqui idem ait postea, Acrius subituram, quæ parata sit, quæque sua sit. Putarem igitur, hos versiculos referendos esse ad superiores, ut, quum dixerit antea Propertius, maximum amoris levamen in eo esse, ut canantur, quæ Nosse puella quævis velit, Ponticum ideo objurget, quod nollet hoc remedio uti, quum aptissimum ad hanc quoque carminum speciem haberet ingenium.

ELEG. XI, v. 3 Æquora subdita Thesproti regno sunt ea, quæ Puteolos alluunt, coloniam Abantum, qui e Thesprotia Epiri regione adnavigantes in Italiam Puteolos condiderunt. Bajæ inter Misenum, & Puteolos sitæ: ideoque Cynthia Bajis residens a sinistra Puteolos, a dextra Misenos habebat, sive Misena litora.

Digitized by Google

v. 6 Senſus Poetæ hic eſſe videtur: Numquid reſtat aliquis locus mihi in amore tuo, qui jam extremus eſt, hoc eſt, qui abolitus pene jam eſt, ut memoriam mei penitus amiſerit?

v. 11 Unda Teuthrantis ſtagnum quoddam erat non valde a Bajis remotum, in quo Cynthia natatui operam dabat, remotis arbitris.

v. 21 Ut amorem ſuum erga Cynthiam explicet, eam cariorem ſibi eſſe ait, quam mater ſua ſibi ſit, quam vita ipſamet ſua. Matrem autem memorat ſolam, quia pater jam occiderat, Propertio adhuc puero, antequam liberam togam ſumeret.

v. 29 Turbas dedit inter Grammaticos verſus hic, aliis *Fuerant*, aliis *Fervent* legentibus. Sed omnino, *Fuerunt*, legendum; nec ironia illa opus eſt, quam Vulpius ſibi confingit. Simplex enim, & aperta exiſtit ſententia: Deſerat Cynthia Bajas; ne occaſionem præbeant diſſidii inter amantes. Longior ibi ducta mora caſtitati obfuit ſemper. Inde epiphonema illud poſtremi verſus.

ELEG. XII, v. 1 Eodem in argumento hæc quoque Elegia verſatur, in abſentia ſcilicet Cynthiæ ſuæ ab Urbe; niſi quod in iſta, in qua amicum alloquitur, apertius animi ſui æſtus explicat.

v. 2 Quum neſcio quis amicus iſte Propertii crimini ei verteret, quod Romæ moraretur voluptati operam, & Cynthiæ conſuetudini daturus, ac propterea malis rumoribus flagraret; & ſe longe ab ea abeſſe, nec illi ſe gratum amplius eſſe memorat, dolenter ſatis.

v. 10 Mutationem Cynthiæ adſcribit aut deorum invidiæ, aut magicarum herbarum potentiæ, inter quas Prometheam præcipue commemorat, de qua Valerius Flaccus lib. 7 Argon.

ELEG. XIII, v. 8 Incipis in amorem prolabi. Phraſis a gladiatoribus hauſta, qui *Dejici*, *Abire gradu* dicebantur, quum adverſarii obnitentis impetum moti loco incipiebant cedere.

v. 21 Neptunus in faciem Enipei Tyro Salmonei filia potitus eſt non difficulter; perdite enim Tyro deperibat Enipeum.

ELEG. XIV, v. 1 Cum Tulli divitiis, quietaque, & referta commodis omnibus vita confert amores ſuos, deliciaſque, ſeque his beatiorem longe effici, quam ſit ille, contendit. Mira quidem eſt verſuum elegantia, imaginumque fœcunditas; ſed mira quoque voluptuarii hominis inſania.

v. 19 Amor ſeſe inſinuat in pectora quoque nobiliſſimorum, ac ditiſſimorum quorumcumque: quaſi Tullus ipſe quoque

timere debeat, ne expertus vim ejus quandoque cogatur fateri ea vera esse, quæ Propertius extollere verbis nimis, atque amplificare videtur. Arabium autem marmor dicit, quo potentiorum limina incrustabantur, onychitem, sive alabastriten lapidem, quo Arabia abundabat.

ELEG. XV, v. 3 Quodnam autem id periculi fuit, quo inclementia fortunæ rapiebatur Poeta? Nescimus; nisi quod Cynthia hoc sui amatoris periculo nihil moveri videbatur, quum se comeret sic, & ornaret, quasi nullo in discrimine ipse fuisset.

v. 18 Exemplis antiquarum heroinarum, quæ intemperantiores fuisse videri possunt in amando, ostendit Cynthiæ levitatem, atque perfidiam.

v. 26 Atqui diversum se ab ea longe pollicetur, quippe cui dolor sit magnus obventurus, si quid sinistri puellæ suæ obtigerit, ut ex hac contraria morum comparatione majorem illi creet invidiam.

ELEG. XVI, v. 1 Elegantissima Elegia, in qua nobilis cujusdam feminæ ob turpitudinem vitæ infamis libidines acriter suggillantur, januæ verbis, quam loquentem Poeta inducit; & in qua exemplum exstat insigne carminis paraclausithyri, secundum ab eo, quod exhibet nobis Horatius lib. 3, Od. 10, quodque unicum superesse nobis ex tota antiquitate falso Dacerius affirmat. Dum autem Januam dicit, argumento est, non intelligere Poetam Portam Urbis triumphalem, sed privatæ domus januam, ex qua egrediebantur currus triumphatorum, & ad quam e Capitolio revertebantur, peracta jam pompa.

v. 2 Mire turbant Interpretes, dum inquirunt, quid hoc sit, januam hanc olim fuisse notam Tarpejæ Pudicitiæ. Alii de Vestali Tarpeja interpretantur. Sed, quomodo pudica hæc, quam patriam ob impudicitiam prodidisse Propertius idem auctor est? Alii, quum Pudicitia, veluti Numen aliquod templum haberet, & alia quidem a Patriciis coleretur feminis, alia a plebejis; existimant, dixisse Poetam, Tarpejam Pudicitiam, pro Patricia. Sed durum nimis, insolensque istud sane loquendi genus. Cum in Foro Boario Templum Pudicitiæ Patriciæ esset, illud autem Forum ad radices Tarpejæ rupis esset; non absurdum mihi quidem videtur, si ita intelligamus Propertium, ut dixerit, januam illam notam olim fuisse ob castimoniam matronarum, quæ illis in ædibus habitarent, Pudicitiæ, illi scilicet, quæ Tarpejæ diceretur, quippe quæ coleretur a Patriciis in templo, prope Capitolium

sito, vel qua adſcenſus in Capitolinum, Tarpejumve montem eſſet.

v. 5 Pulchra diſſimilitudo inter officia, quæ præſtabat janua illa præteritis temporibus, & officia, quæ modo præſtare cogebatur, quum a diſpari domina dominaretur.

v. 9 Non poſſum defendere, impedire ſcilicet, ne cum infamia dominæ noctium tripudia evulgentur, emanentque in vulgus, ob carmina, libelloſque, quæ mihi affiguntur.

v. 17 Ecce ſuaviſſimum illud carmen paraclauſithyricum, de quo initio mentionem fecimus.

ELEG. XVII, v. 1 Alcyones deſertæ, ſolitariæ, quæque raro viſuntur alloquitur: eas autem, quia tranquillum mare faciunt, eo maxime, quo incubant, tempore.

v. 5 Quum, qui inimico animo eſt, malis, adverſiſque ejus gaudeat, quem odit, gratam, qua periclitabatur, tempeſtatem Cynthiæ fore ait, quaſi conjurati ſævirent venti, ut vindictam ejus explerent.

v. 13 Inſpice, qua arte affectus mutet, quod amantium proprium eſt, & eorum, qui in perturbatione animi ſumma ſunt. Hunc locum expendit, maximeque laudat Vir doctus, qui in Encyclopedia Articulum De Elegia conſcripſit. Eum conſule, ſis.

ELEG. XVIII, v. 18 Hunc ita verſum exponendum puto, quaſi crimini verterit Cynthia Propertio, quod non tam ſæpe, nec tam ſollicite quereretur de læſa ab ea fide: hæ enim querimoniæ indicia ſunt animi æſtuantis, & penitus amantis: quæ quum non amplius exſtantia, & expreſſa in Poeta muliercula illa videret, iraſcebatur in eum, quaſi eam contemnere incepiſſet.

v. 23 Hoc quoque ex vero eſt. Conſueverunt enim odiſſe ii primum, qui injuriam intulerunt, eos ipſos, qui male habiti ab ipſis ſunt. In hac erat cauſſa Propertius ſuperba paſſus Cynthiæ faſtidia, iraſque triſtes.

v. 31 Ecce naturæ vocem in amatorio affectu: ecce fidelem imaginem veritatis. Rejectus eſt: cogitur referre ad ſaxa, & arbores dolores ſuos: injuria afficitur; & tamen, qualiſcumque ea ſit, in ore habet, quam amat.

ELEG. XIX, v. 1 Dolentem audivimus, dum ſe non amari a puella ſua credit: exſultantem modo audiemus eidem reconciliatum, optantemque mori, dummodo ea ſpe lactetur, ut redametur ab ipſa, ſuam amaturus etiam poſt rogum.

v. 7 Quod tum quoque amaturus ſit, fidem facit exemplo Proteſilai, qui poſt mortem quoque Laodamiam amare perrexit.

v. 19

v. 19 Recte Vulpius legendum vult, *Quæ sine te viva possim sentire favilla*.

ELEG. XX, v. 4 In hac pulchra, elegantique Elegia, in qua & formam expressit, & stylum Propertius est imitatus Græcorum, cur crudelem Minyis vocet Ascanium Bythiniæ fluvium, ea caussa fuit, quod, Hyla amisso, Hercules, amoris impotens, & dolore correptus eos deseruerit. Illud autem, *Dixerit*, non ad Minyas refertur, sed idem valet, ac *Tertis erit tibi*.

v. 7 *Sive leges*, hoc est, sive prætervehes lintre flumen aliquod, quod per medias silvas labitur.

v. 9 Ora hæc litoris Gigantea est Phlegræus ager ad Cumas, in quo fabulantur Poetæ Gigantes bellasse cum Diis.

v. 14 Quid est *Expertos*? Lacus scilicet, in quibus sæpenumero contigit, quod Herculis error, idest Hercules ipse passus est in Ascanio, amasii sui rapinam, propter quam diu, amareque flevit.

v. 26 Hic vero pictura est, qualis Apelleis est in tabulis. Vide insequentes formosum duos alatos fratres. Vide ex alto ruentes, suspensisque palmis libratos in aere, ut eum osculentur, dum attollit vultum: mox alternis vicibus refugientes, redeuntesque. Vide Hylam cubito erecto ora tegentem sua, & ramo submoventem importunam eorum procacitatem.

v. 33 Pege, πηγὴ, fons nempe scaturiens ex monte Arganthо, sive ἀργανθωνίῳ, ut Apollonius vocat; circa quem fontem & arbores erant pomiferæ, & ripæ floribus pictæ.

v. 47 Aura, utri refert nomen? Refertne Herculis nomen repetitum ab Hyla, eum in extremo periculo invocante? An refert Hylæ nomen, quod repetebat Hercules ipsum sollicite inquirens? Puto, Hylam jam jam submersum Alciden inclamasse.

ELEG. XXI. v. 1 Gallus quidam, Propertio carus, & cognatione conjunctus, quum ex Perusino bello, in quo pro Antonianis partibus contra Cæsarem steterat, evasisset incolumis, in Apennini jugis, a latronibus occisus, sine honore sepulcri jacebat. Umbram vero hujus militem quemdam saucium domuitionem parantem, perque ea loca transeuntem inducit admonentem, primo, ut caveat sibi, ne in fatum idem incidat; deinde, ut de calamitate sua Accam sororem certiorem faciat, a qua reliquiæ corporis extremo pietatis officio tumulentur.

Digitized by Google

IN LIBRUM SECUNDUM.

ELEG. I, v. 1 Mæcenas, Propertii fautor, cui Poetæ nota erat doctrina, aptumque ad grandia quæque ingenium, excitabat eumdem, exstimulabatque, ut amatoriis lusibus vale dicto ad heroica stylum converteret. Ille vero se imparem Epico carmini profitetur, ut hoc in loco, sic & in pluribus: irretitus enim amore, ea canebat tantum, quæ ambitiosæ, nec tamen indoctæ puellæ placere magis poterant, quum sustinendo tamen Epici carminis oneri aptus quam maxime esset.

v. 36 Caput fidele Mæcenatis, seu ipsum Mæcenatem vocat; & bello siquidem, & paci utilem semper navavit operam Augusto, nisi quod, Tacito referente Annal. 3, *Ætate provecta, speciem magis in amicitia Principis, quam vim tenuit.* Sed hæc Propertius scribebat, dum maxime utriusque amicitia vigeret.

v. 37 Insititium, & extra locum positum distichon hoc Vulpio videtur. Sed conjungi cum antecedentibus non inepte fortasse poterit, si, quum antea Poeta dixerit, fidum semper Mæcenatem Augusto fuisse, redamatumque ex æquo ab eodem, tertium hoc par in terris amicorum superesse modo dicat æquiparandum Theseo, & Pirithoo, Achilli, & Patroclo.

v. 47 Habes insanientis amatoris vota. Primum extremæ nequitiæ, mori in amore. Alterum, sine rivali aliquo, frui ea, quam ames. Quod autem compos possit hujus voti fieri, præsagit ex animo Cynthiæ levitatem aliarum muliercularum culpantis, Homerumque censoria virga exagitantis, quod infidelitatem Helenæ Iliados argumentum fecerit.

v. 51 Nec minorem jactat constantiam suam fore in amanda Cynthia; nec enim se philtris ullis immutari posse; quomodo mens Hippolyti, nullo oblato a noverca philtro, flecti in amorem potuit: nec destiturum se ab ea amanda, licet Circes veneficiis convertatur in aliam formam, nec si Medeæ artibus ex decrepito, & capulari sene rursus vertatur in juvenem.

v. 74 Laus Propertio fuit, quod in clientelam suam juvenem adhuc eum recepisset Mæcenas; optimæ enim indolis, & præclari ingenii adolescentes adlegebat, quibus patrocinare-

tur. Laus quoque eidem futura erat, si usque dum vixisset, ita se gereret, ut eum Mæcenas dignum auxilio, ac favore suo existimaret.

ELEG. II, v. 1 Nescio ego quidem, cur, quum in editionibus aliis hæc, & quæ proxime consequitur, in unam coalescant, abruperit Cl. Vulpius, & duas esse maluerit. Atqui & idem utriusque argumentum est, & languet Poeticus spiritus, visque sententiarum retunditur, si discerpantur: acuitur vero, & in animos legentium sese magis insinuat, si aptentur simul, ut Poemation unum efficiant. Hoc, instituta inter utramque comparatione, non operosum erit intelligenti cognoscere. Nunc admonuisse sufficiat.

v. 3 Unde hæc tam repentina interrogatio? Ostendit hæc ipsa, hiulca hæc esse, minusque congruentia.

v. 9 Comparat Cynthiæ pulchritudinem cum veterum heroinarum pulchritudine, inter quas Ischomachen refert, Pirithoi uxorem, alio nomine Hippodamiam. Memorat etiam Brimonem, quam alii Proserpinam, alii Cererem volunt. Nimia fortasse, & intemperans videri poterit hæc reconditarum fabularum coacervatio: sed meminerimus, scribi hæc ad doctam, eruditamque in Poetica eruditione puellam.

ELEG. III, v. 1 Cur autem ab his superiora divelluntur, & cur non in unum corpus aptantur?

v. 16 Non communes, vulgaresque feminarum dotes corporis tantum, quam animi ingeniique ad amorem alliciunt me decora, & ornamenta, qualia exstant, eminentque in Cynthia.

v. 21 Magna ergo poetria Cynthia. Conferebat enim carmina sua, dubiam facientia palmam, cum Corynnæ Tanagrææ versibus, quibus Pindarum ipsum superasse dicitur. Quum ergo coævæ mulieres omnes longe a Corynna abirent, cujus versibus vix Cynthiæ versus æquiparabantur, jure fortasse existimare illa poterat, artem spiritumque Poeticum deesse æqualibus suis. Quid porro, si legamus hoc modo:

Carminaque Erinnæ non putat æqua suis?

Non recedit a sententia; immo vero sensus fit clarior; quum celebris Poetica facultate Erinna fuerit ea tempestate, qua Dion Syracusis obiit interfectus, teste Eusebio in Chron.

v. 30 Vera Vulpii lectio. Futura enim est ex Romanis prima, quæ accumbat Jovi ob insignem formæ præstantiam, unde in universas redundatura est gloria.

v. 45 Quidquid conetur Vulpius, male hæc, & sequentia cohærere cum superioribus videntur. Sed hoc ex ea caussa est, quam indicavimus antea.

ELEG. IV, v. 1 Dehortaturus aliquem ab amore, ejus incommoda, & qualitates exponit. Concipitur enim, antequam præcaveri possit. Eo semel concepto, ferenda indigna sunt multa; nec, ubi insederit animo, excutitur arte quacumque.

v. 7 Depellere amorem non valet nec Medea, magicis sacris nocturnis; urbs enim Cytæa Colchidis fuit, eademque Medeæ patria; nec Perimede, illustris venefica alia, a Theocrito in Pharmaceutria, ejusque Scholiaste memorata, herbarum ope.

ELEG. V, v. 1 Vide amatorum levitatem; vide naturam ipsam humani cordis expressam in vicibus his, quas mutat amor subinde. Qui modo dixerat, perpetuum esse amorem, nec medicinam huic sanando parem ullam esse; ecce abrumpere eum cogitat, atque minatur.

v. 4 Proverbialis hæc locutio est: sed in ea explicanda hæret aqua doctissimis Viris. Sensum hunc esse puto. Aquilonis ea spirantis est vis, ut undas volutet, exæstuantesque ex imo fundo nigrescere, & obscurari faciat, motumque in adversam partem imprimat: ita enim ipse postea:

Carpathiæ variant Aquilonibus undæ.

Indignatio mihi erit pro Aquilone; utque ventus hic aquas vertit, sic ego quoque traducam alio amores meos, meliore certe quidem fato, ut ex proxime sequenti versu intelligitur.

v. 18 Nec idem hic rursus Propertius est. Jam subtrahit jugo colla; jam desultor est: sed revocatur repente; sed ira amori cedit. Imago naturæ est.

ELEG. VI, v. 1 Quum sit res solliciti plena timoris amor, quumque ad Cynthiam amatores undique confluerent, quid non sibi ab ea timeret homo, cui omnia suspecta erant; propinqui, pueri, inanimæ quoque picturæ? ex quibus tamen quum ebiberetur oculis amor, in eas præcipue invehitur amans Poeta.

v. 2 Laidem, matrem scilicet intelligit, filia pulchriorem; Ephyreiamque appellat, quippe quæ Corinthi sedes fixerat. Expressit autem Platonis de Epigrammate in Laidem illa 'Εσμόν ἐνὶ προθύροις Δαΐ' ἔχυβα νέων.

v. 9 Ipsæ facies, formæque Deorum pictæ, sculptæve Propertii cor edebant: adeo & pronam in vitium agnoscebat suam, & adeo misere ipse eam deperibat.

v. 15 At quæ sunt hæc vitia? quæ hæc pugnarum, odiorumque semina? Licentia nimirum alienos viros alloquendi, pascendi oculos picturis, prodeundi in publicum concessa, vel usurpata feminis: inde Lapitharum pugna cum Cen-

Digitized by Google

tauris: inde Trojæ excidium: inde Sabinorum bellum cum Romanis.

v. 26 Ne putes hinc colligi, Cynthiam matrimonio junctam fuisse: nuptam dicit, quod eam concubinæ loco sibi habere Propertius optaret, & cum ea, quasi cum legitima uxore degere, interdicta omni cum quibuscumque aliis consuetudine.

v. 32 Proferuntur jurgia, rixæ, dissidiaque exoriuntur. Unde? ex picturæ artificio. Cur? quia tabellas obscœnas puellæ cum lætitia, hoc est, cum voluptate adspicientes, paullatim in vitium, inque apertos, & impudicos amores erumpunt.

v. 41 Absunt hi duo versus in aliis editionibus: & sane cohærere vix possunt cum antecedentibus. Sed, si adsuere velimus, sententia hæc exsculpenda est. Velim, Cynthia, peccare te puderet. Solus enim pudor est, non vero custodia quælibet, qui te a culpa removeat, tutamque præstet. Si igitur pudore aliquando tangi poteris, teque a luxu ad pudicos mores revocare, semper te, ut amicam amabo, ut uxorem diligam, & reverebor.

ELEG. VII, v. 1 Quum & bellis civilibus exhausta esset Roma, & ob mulierum luxum, superbiamque, & ob corruptos mores abhorrerent a legitimo conjugio Quirites, Augustus, ut vaganti frena licentiæ injiceret, & augeret numerum civium, legem maritam novæ prolis feracem proposuit Senatui primum, populo deinde, anno ab U. C. IↃCCXXXVII C. Furnio, & C. Silano COSS. Verum, ut ait Suetonius in Aug. n. 34, *præ tumultu recusantium perferre non potuit*. Jacuit res per vicennium. Anno IↃCCLVII denuo perlata fuit S. Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino COSS. *adempta lenitave parte pœnarum, & vacatione triennii data, auctisque præmiis*: biennii inde nova vacatio concessa, legem equestri præcipue ordine antiquante: sed suffragiis populi rogata demum fuit anno IↃCCLXII extremo M. Pappio Mutilo, C. Poppæo Secundo COSS. SUF. Dum ergo dicit, Cynthiam gavisam esse *sublatam* legem De maritandis Ordinibus, dum dicit & se, & illam diu flevisse, ex quo fuerat *quondam* edicta; intelligimus, hanc Elegiam conscriptam fuisse post annum DCCXXXVII, & ante annum DCCLXII. V. Heinecc. Ad Leg. Pap. Popp. lib. 1, cap. 3.

v. 3 Illegitima erat Cynthiæ, Propertiique consuetudo. Concubinatus autem, vagusque amor lege severe interdicebatur. Abrumpenda erat igitur illa, utroque amatore dolente, &

Digitized by Google

invito. Dicet fortasse aliquis: Nonne poterant justas nuptias inire, & ita genio simul, legique satisfacere? Immo vero hoc ipsum erat conjugii nomen, quod voluptuaria femina Cynthia, quod perditus in ea Propertius exhorrescebant maxime: & ideo gaudebant receptam non fuisse legem, immo abjectam de ea iterum roganda cogitationem omnem gaudebant.

v. 14 Adeo odisse nuptiarum nomen se profitetur, ut quum ex equestri ipse ordine esset, & militare propterea deberet, tum demum se stipendia facturum quacumque in Orbis parte dicat, si comitem secum habere amicam posset, nec id moribus Romanorum vetaretur.

v. 18 Et invenit ingeniosus nimis Poeta, unde sibi de illegitimo isto amore placeat. Hinc enim peperisse sibi nominis celebritatem, quasi eam consecuturus non fuisset, nisi hæsisset in Cynthia.

ELEG. VIII, v. 1 Jamdiu ereptam sibi a feliciore æmulo amicam dolet amare, vereque Poetice, affectuum sibi invicem succedentium vim, varietatemque secundum naturam exprimens elegantissime.

v. 7 Illudit, blanditurque dolori suo, dum amoris conversionem necessariam esse vicissitudinibus regnorum quoque probat. Thebarum, Trojæque fata advocat in exemplum male habitus amator, ut acerbitatem doloris sui leniat. Sed levia hæc fomenta sunt, relabiturque in desperationem memoria eorum, quæ fecit, pertulitque, ut aucuparetur ingratæ mulieris amorem.

v. 18 Quin etiam mortem optat sibi, & in sese sæviturum minatur exemplo Hæmonis Creontis filii, qui Antigonæ morte perculsus se ipsum interfecit. De hac fabula Sophocles in Antigona, Hyginus, Apollodorus, Mythologi alii.

v. 28 Sed & Cynthiæ ipsi fœdifragæ ultionem, mortemque minatur, quamvis, ea occisa, duplici sit ipse laboraturus infamia: &, quod violentas sibi manus intulerit, &, quod feminam, vindictæ illaudabilis cupidus, neci dederit. Huic autem iræ, vindictæque suæ excusationem prætexit exemplo Achillis, qui ob abreptam sibi Briseiden Græcos maximis malis affecit.

ELEG. IX, v. 1 Exordium hoc ipsum, ipsaque idearum series, atque connexio loquuntur per se Elegiam hanc unam esse cum superiore. Postquam enim Poeta acriter de perfidia Cynthiæ questus est, temperato modo animi æstu, eam carpit, quod ab aliarum pudicitia recesserit, conditionem.

que rivalis sui non absimilem a sua futuram auguratur ex ingenita mulierum animis mobilitate.

v. 12 Briseis ut vulnera exanimi Achillis lavaret, eum *apposuit*, hoc est, applicuit marginibus extremis riparum eorum fluviorum, qui influebant in Simoenta.

v. 13 Ejus vero pietatem, sensumque amoris commendat, quod extrema funeris officia amatori persolverit, quæ potius vel a patre, vel a matre, vel ab uxore persolvi debuissent. Una fuit, quæ justa exsolvit, amica.

v. 18 Comparatione inter utramque instituta, Cynthiæ levitatem odiosiorem reddit, quo laudabiliorem ostendit Briseidis, Penelopesque in amore constantiam.

v. 26 Caput hoc non Propertium ipsum, sed Cynthiam significat. Quomodo enim, si gravi morbo ipse laboravisset, possent illa explicari,

Cum lectum flentes circumstaremus amici,

inter quos maxima ipse pars fuit? Hinc vero major Cynthiæ culpa, quæ prætulerit novum, nec qui fidei, amorisque tam exstantia argumenta præbuerit, veteri, cognitoque amatori: hinc illa, quæ ex hujusmodi facto originem, rationemque ducit, muliebris inconstantiæ expostulatio.

v. 36 Ecce denuo mortem cupit, indignatione tantæ perfidiæ perculsus: sed quam? eam scilicet, ut vi amoris magis, magisque ingruentis opprimatur, exstinguaturque; nec enim efficere crimina Cynthiæ id posse, ut non eam amet, amaturusque semper sit. Vide, quam hæc continuo filo, ac ductu sequantur.

v. 41 Ad extremum iram totam, doloremque suum vertit in eum, qui dissidii hujus caussa fuit, & quemadmodum Etheocles, ac Polynices pro regno Thebano mutuis vulneribus confossi ceciderunt, nequidquam Jocasta matre se inter utrumque interponente; ita quoque se depugnaturum cum rivali, & moriturum, dummodo ille quoque periturus sit, etiamsi media fuerit inter utrumque Cynthia.

ELEG. X, v. 1 Subiratus Cynthiæ Poeta versibus, quibus se laudari præcipue gaudebat, aliam materiem se subjecturum, proque amatoriis rebus prœlia, victoriasque Cæsaris se locuturum; hoc ipsi & ætate jam matura suadente, & amicæ levitate a se reposcente.

v. 12 Ex his tempus deprehendere licet, quo scripta hæc sunt. De Parthorum signis redditis, vel jam jam reddendis, de legatione ab Indorum Rege Poro ad Augustum missa, de expeditione in Arabas suscepta, vel decreta mentio hic

fit. Circa tempus igitur, quo hæc contigerunt, scribebat ista Propertius; cujus de temporis epocha infra commodius dicemus.

ELEG. XI, v. 1 Scaliger hæc superiori Elegiæ adsuit; & quidem adsuta optimum, integrumque sensum exhibent. Indignatio enim ea demum fuerat, propter quam carminis sui non rediret in orbem Propertius. Si disjungas, epigrammation exile quoddam, & exsuccum exit. Vulpius disjungit. Cur? quia divelli possunt. At vero sic omnia avelli invicem poterunt, nisi sententiarum nexum attenderis. At enim in superioribus non alloquebatur Cynthiam Propertius. Alloquitur modo, veram demum allaturus caussam, cur sese ad Heroica ab amatoriis carminibus transferat. Caussa porro est, ingratus ejus animus, & concepta ex formæ venustate superbia, quæ tamen, ea moriente, evanescet.

ELEG. XII, v. 3 Puerili ætate Amor pingitur; puerilia siquidem consectantur, qui amant, & quæ honesta, & utilia sunt, ἀναισθήτως, sine sensu, sine consilio, ludicris, voluptuosisque rebus postponentes.

v. 6 Docte Vulpius exponit *Humano corde* non sine acumine ingenii, ut indicium sapientiæ sit, attribuisse alas, volatumque Cupidini ad significationem inconstantiæ, levitatisque, cui obnoxii sunt amatores.

v. 15 Effectus amoris omnes se perpeti Poeta fatetur: illud & miratur, & dolet, volucrem illum ἄνδερον quoad se solum fieri, nec evolare umquam de pectore suo.

ELEG. XIII, v. 3 Ex eo, se totis penitus medullis Cynthiæ amorem imbibisse probat, quod, ut ei placeret, ad lusus, ineptiasque tantum canendas demisisset ingenium ad majora aptum: se tamen summam sibi in puellæ doctæ, eruditæque adprobatione posuisse, nec de aliorum judicio sollicitum esse; instar enim omnium illam sibi esse.

v. 15 Quemadmodum sibi laudem, decusque, nomenque Poetæ apud posteros se certo consecuturum auguratur, quod carmina sua Cynthiæ placuerint; sic ad summam votorum id tantum deesse sibi ait, quod non bene illa responderet in amore. Hoc si obtineat, se lubenter moriturum; quin immo funeris ipse exsequias sui, quas velit esse, edicit, & instruit.

v. 25 Quum tres libellos hic memoret, quos Proserpinæ pro ferculis, & lancibus quibuscumque dono ferat; quumque revera tres tantum in Cynthiam scripserit: suspicati sunt Viri docti ex libro tertio irrepsisse, non suo loco, in hanc Elegiam versiculos hos duos. Cohærent bene tamen cum his,

quæ hic a Poeta scribuntur, ut non aliunde arcessiti, sed ex re ipsa nati videanrur. Quid, si dixerimus, jam dum hæc scriberet, tres tantum statuisse Propertium edere, ideoque tres dicat non quidem adhuc emissos, sed emittendos in lucem? Quid, si tres dicat pro paucis numero, adhuc incertus, quot essent futuri?

v. 27 Hoc vero illud est, quo parentari sibi a Cynthia cupiebat, ut veluti Matrona illa Ephesia apud Petronium, funus passis prosequatur crinibus, & nudatum pectus plangeret, ut alia certi doloris signa ederet.

v. 42 Dubitat, an hæc præstitura sit Cynthia; territat vero, quod sensus sit umbris quoque, & nosciturí sint ejus manes, utrum morte sua dolitura illa sit, & ejus impiam perfidiam ulturi.

v. 43 Dubitatio ista, quæ in mentem Poetæ venerat de Cynthiæ fide erga eum mortuum, ita miserum angit, ut se vel in primo vitæ limine malit animam posuisse, ne hoc timore cruciaretur, vita producta.

v. 48 Quid est Miles hic Gallicus? Trojanus scilicet, Phrygiusque, a Gallo ejus regionis fluvio.

ELEG. XVI, v. 3 Saxa Ceraunia, montes Epiri sunt: mare, quod eos alluit, scopulosum, ventisque frequenter agitatum. Vellet exclusus amator naufragio absorptum ibi Prætorem ex Illyrio redeuntem, quocum Cynthia consueverat.

v. 7 Amara hæc ironia est, qua avaritiam, inexplebilemque auri cupiditatem amicæ exprobrat, sese prostituentis omnibus, qui ipsi futuri essent, & donec futuri essent præda.

v. 16 At quomodo perit? Perit, famam scilicet, existimationemque amittendo, ut indignam mercem recipiat, munera scilicet eorum, quos meretriciis artibus exspoliat.

v. 23 Sejunctam dicit a se ipso, ut liberius satisfacere posset hominis inculti, fœdique libidini.

v. 31 Postquam Eriphylæ, & Creusæ exemplis ostendit, periculum sibi creare illas, quæ sese munerum illecebris excæcari sinunt, nec vim hæc exempla in animum Cynthiæ habere vidit; in se ipse redit, indignaturque, quod adhuc injuriarum patiens, nec fracto amoris jugo sese adserat in libertatem. Dubitat tamen, an possit, & an dolor hic vitiis sciat abesse suis: hoc est, an dolor conceptus ex infidelitate Cynthiæ possit a vitio, hoc est ab amore dolentem se liberare.

v. 37 Et tamen imparem se efficiendo id, quod modo proposuerat, confitetur. Amoris enim eam esse impotentiam, ut

animum non patiatur rectæ rationi, consiliisque prudentiæ obedire. Nec enim obedivit Antonius, qui, Cleopatræ ut morem gereret, patriæ suæ bellum intulit.

v. 38 Quum Actiaca navali pugna victoriam Cæsar reportaverit, quomodo maritimum bellum hic in terrestre vertitur? Antonius non classem solum, sed pedestrem quoque comparavit exercitum: castra ejus erant in litore Actiaco: sed, ubi prœlio navali victum Antonium, fugientemque vidit, arma abjecit, seque Augusto dedidit. Antonii milites Damnatos dicit eo sensu, quo damnatum Ilium Junoni, ac Minervæ dicit Horatius Od. 3, lib. 3, explicatque erudité Dacerius.

v. 54 Sed iræ quoque, punitionique Deorum obnoxiam facit ex hac culpa avaritiæ, & infidelitatis Cynthiam suam Propertius. Recte omnia, si cogites, qua ratione loqui deceat amantem, æstu multiplici variorum affectuum abreptum, agitatumque.

ELEG. XVII, v. 1 Cur, doctissime Vulpi, perperam hæc Scaliger cum superioribus connectit? Atqui fluunt hæc, cohærentque cum illis. Insistit enim in eodem argumento Poeta, & rationem addit, cur timere sibi debeant a punitione Numinum fallaces puellæ: maximo enim damno, maloque amatores mactant proditos, atque delusos: experientiaque id sua asserit doctus.

v. 15 Quid sibi reliquum habebit Propertius tam male habitus a Cynthia? Illud nempe, ut ad postes superbos dominæ pernoctet, *Sicca Luna*, seu, ut interpres erit Horatius lib. 1, Od. 25:

Bacchante magis sub interlunia vento,

& aeris serenitatem, & siccitatem adferente: & ut queribunda verba per rimosas fores mittat, quæ janua

Percussas dominæ vertat in auriculas.

ELEG. XVIII, v. 1 Assentior valde Vulpio docenti, quatuor hos primos versus, aut, ironiæ figura, intelligendos esse veluti a Cynthia ipsa, vel aliquo Propertium salse irridente pronuntiatos. Sed, si hoc admittimus, admittamus illud quoque, reliquam hanc Elegiæ partem antecedenti adnectendam esse, sic idearum nexu non postulante solum, sed etiam flagitante.

v. 5 Immo vero sibi dissimulandam esse negat Cynthiæ levitatem, atque protерviam, quod jam illa ad senectutem vergens se primo in flore juventæ constitutum despectui haberet, aliique postponeret, quum senem etiam Tithonum Au-

rora constanter amaret; & quod imminuta jam per ætatem naturali pulchritudine adscititiam, fucatamque formam quærere cogeretur.

v. 23 Britanni, Belgæ, Germani, omnesque fere Celticæ gentes σμήγματος genere quodam, quod Glastum Cæsar, ac Plinius dicunt, tingebant sibi comas. Hoc medicamine Romanæ feminæ, quibus jam canescere incipiebant capilli; hoc Cynthia quoque utebatur, ab omnibus proinde deserenda, quam tamen Propertius unus erat constantissime amaturus.

ELEG. XIX, v. 2 Cur simul & lætatur, & dolet de absentia Cynthiæ? Dolet, quod Romæ illa non sit, sed rusticari velit. Lætatur, quod ruri agere velit, dum sine ipso est: tutior enim a corruptoribus vivet, quam si in hominum frequentia, populosaque urbe aliqua commoraretur.

v. 29 In more quippe venatorum, & aucupum erat, ut ferarum, aviumque capita, alæve Dianæ sacræ suspenderentur ex arbore, vel ad januas figerentur domorum quasi trophæum aliquod.

v. 31 Quid est mutare nomen in assidua lingua? Si quid intelligo, sensus hic est loci hujus. Memento, o Cynthia, me venturum tibi infra paucos dies: sic & tu continere te poteris, ne pecces; & me nihil prohibebit, quin, dum tu vel frequentas silvas solas, vel flumina, ego assidue de te loquar, te appellem variis, mutatisque nominibus. Ceterum, si tu non memineris de adventu meo, timebo semper, ne non nemo nociturus mihi sit absenti, etiamsi extra urbem tu vivas.

ELEG. XX, v. 15 Matrem intellige, patremque Poetæ. Eo adhuc puero, obierat pater: supervixerat genitrix, quum jam adultus virilem togam sumsit: nunc autem e vivis excesserat. Per utrumque ergo parentem jurat, se usque ad extremum vitæ spiritum in amore Cynthiæ mansurum; nec mansit tamen; sed, ut ille alter ait,

. . . *Perjuria ridet amantum*
Juppiter, & ventos irrita ferre jubet.

v. 19 Et plures quoque aggerat caussas, cur sibi persuadeat Cynthia, illum numquam abrupturum esse amoris vincula. *Nomen*, nobilitas generis, quæsitaque fama liberalibus studiis, ingeniique cultura: forma corporis, qua pollebat: indulgentia, qua in eum utebatur summa: alia etiam in eumdem collata beneficia, quorum si umquam oblivisci potuisset, ingrati animi crimine obstringeretur, di-

gnusque fieret, quem homines, Diique justis pœnis prosequerentur.

v. 35 Prætores quique edicebant, quo jure vellent uti, eo ipso die, quo magistratum inibant. Sed hoc perpetuum Propertii tempore jus non erat, poteratque a successoribus mutari, quamvis consuetudine jam recepta raro mutaretur. Poeta, ut Cynthiæ suæ adblandiatur, eam sibi legem indixisse perpetuo servandam affirmat, ut nec temere amare quampiam inciperet, nec temere, ac cito ab eadem amanda desisteret.

ELEG. XXI, v. 1 Sive *Ah!* legas cum aliis, sive *At* cum Scaligero, parum id quidem interest. Interest vero plurimum, utrum hinc poemation novum exordiri debeamus, ut exorditur Vulpius; an vero conjungenda sint hæc cum superioribus, ut unam, eamdemque Elegiam constituant, ut Scaligero placet, mihique etiam probabilius videtur. Lenito enim animo Cynthiæ iis artibus, quas supra adhibuit, literam inserit totam Panthi, qua malus ille artifex exulceraverat puellæ animum, eidem obtrudens, Propertium alio amores suos transtulisse; alias sibi conditiones quæsivisse; & modo eumdem immemorem veteris amicæ, novæ addictum, irridere, & insultare Cynthiæ.

v. 8 Ut sensus sit justus aliquis versiculo huic, explicandus sic erit. Superbus, jactatorque ille tuus olim Propertius, quum sæpe tu ipsum exspectans domi consedisses, dicit, hoc te, eo invito, nec postulante fecisse, ut de hac patientia tua tibi gratiam habere cogatur.

v. 17 Tu tamen Cynthia quæris tibi in locum Propertii, ut par ei referas, amatorem alium: qui tamen *Jampridem*, diu est, *Qui restat*, hoc est, qui resistit, renuit, difficilem tibi se præbet. Poteris vero tu firmam de ejus fidelitate spem concipere, quum infidelem ipsum quoque sis experta Propertium?

v. 19 Litera Panthi recitata tota, verba hæc Poetæ sunt id ipsum brevi affirmantia, quod fusius antea inculcaverat, de sua in amanda Cynthia perpetua constantia.

ELEG. XXII, v. 14 Quæsierat Demophoon nescio quis, cur pronus adeo esset in multarum amores, earumdemque viliorum, libertinarumque Propertius. Frustra vero caussam hujus rei exquiri ait, quia cupiditatum animi, quibus aguntur homines, ratio nec reddi, nec assignari ulla plerumque possit.

v. 15 Bellonæ Sacerdotes, qui & fanatici dicebantur, sole-

bant cultris brachia sibi cædere, ac laniare correpti insano furore ad Phrygios modos τὸ ἔνθεον inspirantes animis.

v. 21 Primum, quod Demophoon in multas insanienti Propertio vitio verteret, illud erat, quod vires, firmitatemque corporis exhausturus esset, si pluribus eodem tempore exhibere vellet officium. Exempla e fabulis congerit, ut probet, nullum inde sibi periculum, detrimentumque oriturum.

v. 41 Ad retundendam importunam feminarum superbiam, comprimendosque fastus, utile esse ait, alias habere, quas ames, quibusque tristes alterius iras, atque superba fastidia compenses. Utitur ad hoc veteri Græcorum proverbio ὁρμεῖσθαι ἐπὶ δυοῖν ἀγκυρῶν, & matrum exemplo, quarum minuitur ex morte natorum dolor, si superstes ex eis sit alter.

v. 43 Verba hæc sunt hominis ad amicam.

v. 48 Quomodo vero non novit? Sed fingit, se non adgnoscere; ex quo major injuria fit ei, qui non recipitur, quasi excludatur, tamquam ignotus.

ELEG. XXIII, v. 1 Sed pars hæc sunt Elegiæ ejusdem: argumentum idem: sententiarum nexus idem, atque colligatio. Ex incommodis enim, quæ consequuntur eos, qui matronas sectantur, quæque expertus est ipse, colligit, vulgares amores rudem se male primum fugisse; usu vero comperisse, hos præferendos esse, inesseque dulcedinem aquæ ex aperto, expositoque lacu petitæ.

v. 3 Primum illud est, quod displiceat: nimirum ingenuum hominem & blandimentis, & muneribus impetrare a servis nobilium feminarum cogi, ut mandata eorum fidei committant ad dominam deferenda.

v. 7 Alterum est, quod post sexcentas moras, ambagesque non admittitur amans, nisi raro admodum, nisi magno cum dispendio suo, nisi cum periculo summo, ne deprehendatur, pœnasque luat violati cadurci.

v. 14 Matronæ non nisi magno servorum numero septæ prodibant, fastum spirantes, atque superbiam, ad quas proinde difficilis maxime erat accessus, tamquam vallo circumdatas, ut ait Horatius lib. 1, sat. 2, quæ ejusdem pene est cum Elegia Propertiana hac argumenti.

v. 23 In eo, quem ancillas amare non pudet, * & vilissima mancipia, parum ingenui, libetique spiritus esse, quum obijcetetur Propertio; ille reponit; omnis, qui amore captus est, libertatem amittit. Quid ergo interest, sive amittam amando generosam aliquam e numero Lamiarum, & nomi-

nis alti; sive e classe secunda aliquas libertinarum, aut ancillularum?

ELEG. XXIV, v. 1 Qui hæc a superioribus discerpunt, inter quos Vulpius quoque est, minime quidem mirum, si laborant in eorum sensu constituendo, & explicando; a quibus elicitur commoda sane, sibique amice consentiens sententia, si conjunxeris hanc quoque partem cum antecedenti Elegia. Dixerat enim Propertius, longe melius esse, amore prosequi e vulgo puellas, quam eas,

Quarum subsuta talos tegat instita veste:

sed mendacem in hoc illum esse arguunt celeberrima, lippisque, & tonsoribus nota ejus carmina in Cynthiam, quæ testantur, illustrem eum genere feminam amare.

v. 3 Ita aptari hæc videntur inter se. Aut verum est, te sectari nobiles mulieres; & pudor ingenuus exigit ut sileas, ne existimationem lædas ejus, quam amas. Aut verum est, te hærere in diobolariis, ac meretricibus; & honoris tui cura flagitat, ut ne elabi sinas in hominum notitiam hoc tantum dedecus animi tui. Sis surdus, licet; contemnas, licet, murmura famæ; erubescendum tibi est tam de uno, quam de altero amorum genere.

v. 9 Quid Propertius ad hæc? Fatetur utrumque: fatetur, labem se existimationis contrahere, sive has amet, sive illas; minorem tamen jacturam nominis sequi, si quis, abjecta illustrium cura omni, viles tantum quærat. Atque hic quidem Elegiæ terminum figere sententiarum series, ductusque videtur: hinc autem esse initium novæ. Vulpio quidem aliter visum, de quo doctiores judicent. Certe insequentes versus ex alio in hunc locum migrasse videntur; principiumque ab illis petendum, *Hoc erat in primis* &c.

v. 11 In deliciis, luxuque olim apud Romanos erant flabella ex pavonum pinnis contexta ad ventilandum frigus, incommodaque animalcula abigenda. *Prasina hæc flabella* dicebant; unde illud Martialis lib. 3:

Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello.

v. 12 Quid autem pila, quam habeat femina in manibus? Nimirum crystallinæ pilæ erant, quas manu versabant delicatulæ ad captandum frigus æstate media &

Sole dies referente siccos.

v. 17 Si hinc Elegiam ordiaris, expostulatio erit Propertii de levitate Cynthiæ, quæ ei rivalem præposuerat, nec ingenii, nec animi virtutibus secum ullo pacto conferendum.

v. 51 Multa de Cynthiæ pulchritudine dixerat; consequens illud erat, ut innumeros habere deberet illa amatores. Cur ergo tam paucos tam formosa habet? Levitatem animi illorum caussatur; unde sibi gratiam ex constantia, & fidelitate aucupatur.

ELEG. XXV, v. 1 Sensus hic est. Quamvis sæpe, fato sinistro meo, a te excludar, & ideo curam, doloremque mihi augeas; sola tamen tu es, pro qua dolorem tantum perferam non invitus, quia una pulcherrima es omnium.

v. 4 Præ Lesbia a Catullo tantopere ob formam laudata, præ Quintilia laudata a Licinio Calvo celebrabitur Cynthia meis versibus laudata.

v. 5 Missione tandem impetrata, post bellicos labores milites secessu & otio; navigantes quiete perfruuntur; boves ab aratro eximuntur. Nec vacatio mihi, nec libertas ab amore tuo umquam dabitur.

v. 15 Acerbi quidem, gravesque sunt dolores, quibus obnoxii amantes fiunt, quos longe majores esse prædicat reliquis cruciatibus omnibus, quorum fabulæ meminerunt; sed quum hi quoque ipsi leviores fiant patientia, possitque patientia, & assiduitate vinci tandem, expugnarique animus cujusque, obsistere proponit, & obdurare; noctes insomnes degendo ante limina iratæ, ac minitantis; iterando preces, veniamque rogando, quamvis aperte contemnatur; sese peccasse confitendo, quamvis & læsus sit ipse, & injuria affectus.

v. 26 Aurigæ in Circensibus ludis septies circa metam cursum flectere debebant, antequam sibi præmium deposcerent. Hinc illud in Halieutico:

Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho,
Quum septem spatiis Circo meruere coronam.

v. 35 Vincitur a rivali hoc tempore Propertius, nullo modo vincendus, si redirent ea sæcula, quibus ea placebant in viris, quæ olim placebant in mulieribus; fides scilicet, artesque liberales.

ELEG. XXVI, v. 5 Vidi te ducentem manus lassas rore Ionio, qualem aurea ovis vidit Hellen agitari fluctibus maris, cui illa nomen dedit, ut timebam, ne ipsa dares tuum in eo submersa. Cui vero non dicta Helle, Phryxusque?

v. 12 Consulto doctus Poeta fingit Cynthiam in extremo vitæ periculo sæpe Propertii nomen vocasse, ad indicandum amorem, quo ipsa eum prosequebatur. Solent enim carorum ipsa in morte naufragi meminisse. Ne congeramus testimonia, ipse idem lib. 3, el. 5, de Pæto:

Pæte, quid ætatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est?

v. 21 Admonita periculo suo, amatoris sui excitata fide, studioque, qui jam jam inibi erat, ut se in mare præcipitem daret opem naufragæ allaturus, Cynthia ex animo me amare incepit, mihi servitura, numquam a me in posterum discessura. Non est ergo, cur ab hoc versu novam Elegiam ordiamur, quæ optime cohæret, coalescitque cum anterioribus, quemadmodum Vulpius ipse quoque animadvertit.

v. 28 Obelo configendus insititius, adulterinusque versus iste nec loco aptus, nec Propertii Musa dignus.

v. 37 Atqui intelligendum est aliquid, ut sensus constet: nempe, quum supra de Euro, & de Austro dixisset, Sed utique, inquit, vexate ratem, in qua mecum sit Cynthia, reliqui præter hos duos venti omnes, *Quicumque* &c.

v. 39 Ventorum vi motæ Symplegades concurrerunt: earum concursu intercludebatur Jasoni, Minyisque via. Sed Phineo admonente, Minervaque auxiliante, columbæ volatum secutus Jason inter Cyaneas cautes evasit. V. Apollonium lib. 2 Argon. Ovidius quoque in Ibin v. 267 de Phineo:

Qualis & ipse fuit, quo præcipiente, columba
Est data Palladiæ prævia, duxque rati.

v. 44 Ex persona amantis recte optat sibi, ut exanime corpus suum undis feratur, dummodo tegatur terra Cynthiæ cadaver. Superstitio enim illa invaluerat, non posse eorum animas recipi, transvehique ad placidas sedes a portitore Charonte, quorum insepulta jactarentur mari cadavera.

v. 47 Amymone, Danai filia, dum quæreret aquam, a Neptuno cupita, & compressa fuit, qui eo ipso in loco, in quo ea potitus est, tellure tridente percussa, fontem Lernæum excitavit. V. Apollod. lib. 2, Hyg. fab. 196.

ELEG. XXVII, v. 1 Quum Passeratius hæc in veteribus MSS. præcedentibus continuari testetur; quumque, ut continuentur, series ipsa, juncturaque rerum flagitet: non video, cur avulsa sint in Vulpii editione. Dixerat enim, se tempestatum casus evasurum, si naviget cum Cynthia, seque libenter vitam positurum pro ea: nunc exagitat illos omnes, qui anxii quærunt, quem sibi finem Dii dederint, quum incerta omnino sit præstitura cuique mortis hora, modusque.

v. 3 Phœnicibus siderum scientiam adscribit, & astrologiæ, quam Orientalibus deberi probabile admodum est; unde Cicero de Assyriis finitimas Phœniciæ regiones incolentibus

lib. 1

lib. 1 de Divin. cap. 1, n. 2: *Propter planiciem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum cælum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, trajectiones, motusque stellarum observaverunt, quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriæ prodiderunt.*

v. 15 *Aura* poni hoc loco videtur pro favore, pro animo in melius converso. Sicut enim indignatio, aut perfidia erga amantem caussam præbet, cur moriatur; sic quoque eum ad vitam revocare potest ejus placatæ, redamantisque vel una vox. Metaphora sumitur a ventis longe diversos effectus producentibus, prout spirant diversi.

ELEG. XXVIII, v. 4 Nempe hæ anni tempestates incommodæ valde, ægrotisque periculosæ ob curationem difficilem. Testis locupletissimus Hippocrates Aph. 5, Sect. 4. ὑπὸ κύνα, καὶ πρὸ κυνὸς ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

v. 12 Cur non boni Palladis oculi? Cæsii quippe: nigri porro in honore, pretioque. Cynthia nigris oculis prædita (ait enim noster hoc eodem libro eleg. 12, *Et lumina nigra puellæ*) fortasse irriserat Pallada γλαυκῶπιν.

v. 27 Tu Semelæ narrabis, quanto tibi steterit, fuisse formosam. Credet illa, quippe quæ ipsa quoque Junonis invidia, dolisque combusta fuerit.

v. 35 Vide superstitionem Ethnici hominis, propter quam male ominabatur de valetudine Cynthiæ. Turbo, seu rhombus negat rotari: laurus crepitum adusta non dat: Luna ad sagæ carmina non amplius e cælo descendit, datura consulenti de amicæ morbo responsum: canit ferale e propinquo noctua, vel bubo. Sed de his alio loco.

ELEG. XXIX, v. 9 Quid est hoc loco, Aliquem locare? Pacta quasi pro opera mercede, dedit nobis quærendum, vexandum, ad eam raptandum, quasi fugitivum.

v. 17 Scio Horatium de Lyde dixisse, Quæ spirabat amores; scio Latine, eleganterque dici Afflari odores. Sed nescio, an dici de oculis possit, ab eis odores afflari. Quid, si emitti odores dicamus non ab oculis, verum a mitra, quam capite Cynthia gestabat, ubi ejus ligamina solvisset, aperuissetque caput unguentis perfusum, quibus delicatulæ mulieres utebantur? Viderint doctiores.

v. 21 Optime Vulpius explicat, cur Amores & detraxerint primo amictum, & rursus amictum Propertio injecerint Cynthiæ domum jam jam ingressuro. Noctu enim quum vagaretur per urbem meretricum lustra, fornicesque aditurus, pallio, aut cucullo caput operuerat, ut moris erat. Obvii

errabundo Amores caput nudaverant: ubi inspexerunt probe, & agnoverunt, agnitumque vexaverunt, ei rursus injecerunt amictum, quum intra limina Cynthiæ pedem posuisset.

v. 27 Ostrina in tunica ibat, ut Vestæ somnia narraret. Is enim fuit veterum mos, ut si quid funesti somniavissent, vel ad conjectores deferrent, vel Diis narrarent Averruncis, ἀλεξικάκοις; Soli, puta, προστατηρίῳ Apollini, Vestæque, ut depellerentur, si quæ mala viso illo portenderentur. Sed, cur Vestæ potissimum dicitur Cynthia ivisse narratum, Deæ scilicet pudicissimæ mulier proba parum, & parum pudica? Immo vero pudicam, probamque vult exhibere nobis Cynthiam suam Propertius, quippe quæ eidem amorem suum sancte, fideliterque servaverit.

v. 31 Mira verborum elegantia, *Speculator amicæ*, quasi diceret: Amicæ loco vis me habere, & importuna admodum hora, primo scilicet mane, ad eam venis animo hostili. Ut enim Festus docet: *Speculator hostilia silentio perspicit: explorator pacata clamore cognoscit.*

ELEG. XXX, v. 4 Alam Persei dicit, utpote cui vel Nymphæ talaria dederant pedibus nectenda, ut Apollodorus refert, vel cui Mercurius ipse sua dederat ad Medusæ cædem proficiscenti, ut auctor est Homerus.

v. 13 Et sibi Propertius, & Cynthiæ cecinerat, frustra utrumque conaturum, sese amoris laqueis expedire. Hinc vero colligit, insistendum utrique esse ei vitæ generi, voluptuariæ scilicet, & amatoriæ, quam susceperant, ætatemque ducendam inter lusus, & convivia, rumoribus severiorum hominum plane contemtis.

v. 16 Tibiam alloquitur, cujus sonitu celebrandum erat convivium. Ad hilaritatem enim conviviorum tibiis utebantur antiqui, non ad querimoniam tantum; nec vero locus hic erat querimoniis. Horatius lib. 4, od. 15 ait:

Inter jocosi munera Liberi
Lydis remisto carmine tibiis,

Romanos cecinisse Trojam, & Veneris progeniem: & lib. 3, Od. 19:

Insanire juvat. Cur Berecynthiæ
Cessant flamina tibiæ?

Mirandum sane hunc veterum morem non animadvertisse eruditissimum virum Passeratium, cui absonum, novumque videtur, mentionem hoc loco tibiæ factam a Propertio fuisse.

v. 17 Cum Pallas tibiam inflavisset, sibique displicuisset ge-

nas tumidas suas adspicienti, tibiam indignabunda in fluvium Mæandrum projecit, quam postea Marsyas sustulit. Ad hanc fabulam Poeta alludit.

v. 19 Et hos, & sequentes versus ingeniose, eruditeque explicat, illustratque Vulpius, quem consule.

v. 23 Exposuerat initio vim, potestatemque inexpugnabilem amoris. Quid ergo, si imperiosus Deus iste uni amicæ tantum obnoxium, addictumque me velit? Nemo idcirco aut reprehendere, aut condemnare jure me poterit.

v. 33 Felix admodum Lipsii conjectura legentis,

Nec te Virginei reverentia moverit oris:

quasi dicat, Non est, cur pudore suffundaris Musas adspectura, perinde ac si virgines eæ essent. Virgines enim non sunt, sed sciunt, quid sit amor. De Musarum amoribus Mythologi multa: Propertius in exemplum Calliopen solam evocat, quæ Orphea peperisse dicitur, a nescio quo vel Deo, vel Heroe sub Œagri specie compressa, & mater reddita.

v. 37 Quis Musarum choros dici nescit, aut Poetas Musarum choris implicare manus, quum versus faciunt? Ut significet ergo Propertius, se carmina compositurum ruri cum Cynthia viventem, ait se prima in parte choreæ statutum iri: Bacchum vero medium futurum, utpote χορηγὸν, quo afflante spiritus in se venturus sit poeticus. Bacchus enim, & Phœbus, uterque Poetarum Deus.

ELEG. XXXI, v. 1 Cæsar Augustus ad celebrandam Actiacæ victoriæ memoriam Templum insigne in Palatino monte Phœbo erexit: bibliothecam templo adjunxit, porticusque magnificas columnis digestas, statuis inter columnas positis. Quum porro ad posterorum memoriam pervenerit quo ab U. C. anno templum Apollinis dedicatum fuerit, & populo aperta porticus; notam Chronologicam habemus temporis quoque, quo Elegia hæc, seu fragmentum potius Elegiæ a Poeta scriptum sit.

v. 4 Inter columnas erant statuæ filiarum Danai: contra eas sub dio totidem statuæ equestres filiorum Ægysti; ac filiæ quidem Danai in ea porticu nuptiali veste stabant, ut ex vetere Persii interprete colligitur.

v. 5 Marmoreus Phœbus ita affabre effictus, ut videretur carmen, ore tereti, semihiantibus in conatu labellis, eliquare. Nec mirum: statuam enim Dei, quam Augustus dicarat, Scopas olim fecerat, saxo

Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

V. Plin. hist. nat. lib. 36, cap. 5.

v. 11 Deorum imagines, currusque faſtigiis ſummis templorum imponebantur, quæ illis erant conſecrata Sic Phœbi currus in culmine viſebatur Palatini templi: ſic Cicerone teſte lib. 1, de Divin. cap. 10, *Summanus fictilis erat in faſtigio Jovis Optimi Maximi*.

ELEG. XXXII, v. 1 Cynthia frequenter Roma diſcedens modo ad hanc, modo ad illam urbem pergebat, ſpecie quidem religionis, ſed revera ut libidinem expleret ſuam, conditioneſque ſibi quæreret in celebritate, affluentiaque hominum. Spectatum ibat, ſpectaretur ut ipſa. Hinc eam Propertius impudicitiæ arguit. Oculis enim ſeſe omnium videndam offerens, videntium inflammabat cupiditatem, forma ſua. Ex cupiditate porro cauſſa peccandi.

v. 3 Prænestis ſortes in arca ex olea facta conditæ erant, quæ ſervabantur in æde Fortunæ; eæ vero miſcebantur, ducebanturque pueri manu, Fortunæ monitu; qua de re tota Cicero ſalſe non minus, quam eleganter lib. de Divin. 2, cap. 41. Sed genus hoc divinationis exploſum a cordatioribus, ætate Ciceronis, vulgus tamen frequentabat: hinc crebræ illæ excurſiones Cynthiæ, ut Præneſte eſſet.

v. 9 Ariciæ nemus erat, templumque Dianæ. Ex ipſa Urbe Roma turmatim ad hoc nemus, ad hoc templum feminæ cum facibus ſacra Dianæ facturæ pergebant: pergebat ſæpe Cynthia quoque quaſi vota Aricinæ Deæ perſolutura. De his enim ſacris Ovidius diſſerens faſt. 3, ait:

Sæpe potens voti frontem redimita corollis
Femina lucentes portat ab urbe faces.

Pæne enim contigua, ac ſuburbana facta erat Aricia creſcenti in immenſam magnitudinem Romæ.

v. 11 Porticum exſtruxerat Pompejus Magnus. Columnis ſuſtinebatur: aulæis obtendebatur ad arcendum pulverem. Umbroſas has columnas vocat. Non longe ab his duplex platanorum ordo ſurgebat ad excludendum Solem, locumque opacandum: ibi concurſus virorum, mulierumque maximus deambulantium.

v. 14 Ad irrigandas platanos, quæ porticum Pompeji hinc & inde circumdabant, aquæ per tubos, & caſtella ducebantur. Eo vero in loco, quo ſaliebant, ſtatua Maronis erat eo habitu poſita, ut leni aquarum exſilientium ſuſurro videretur Maro ſopitus. Educator autem Bacchi fuiſſe is dicitur a Fulgentio eo in articulo, quo de Dionyſio diſſerit.

v. 15 Per totam Urbem crepitabant leviter aquæ, Appiæ, Anienis, Tepulæ-Martiæ, quam ſcilicet Q. Martius Rex no-

Digitized by Google

mine suo appellatam cuniculis per montes actis intra Præturæ suæ tempus adduxit. Agrippa postea in ædilitate sua Virginem aquam adjecit, ceteris corrivatis, emendatisque. Operibus his signa trecenta ærea, aut marmorea imposuit, quæ signa Nympharum fuerunt, ac fluviorum. Ad locum, ubi Tritonis statua erat, confluebant ex variis partibus ductus aquarum: ab hac Tritonis statua emittebantur magna copia, effluebantque ad Pompejana nemora irriganda. Sed de aquis Romanis videatur Aldi Manutii ad Moronum Dissertatio.

v. 27 Laboravit infamia ob cursitationes has suas Cynthia. Eam arguit hac de caussa Poeta. Mox addit, eam criminis alicujus atrocioris ream damnari non posse, purasque a veneficio, & homicidio manus illam habere. Quid ergo ei crimini verti poterat? Impudicitia: sed ex Propertii mente nec novum, nec excusatione indignum peccatum in femina est impudicitia; quæ apud Ethnicos inter tot tanto majora scelera, innocentia habebatur.

v. 32 Helena, quæ violata conjugali fide, quam Menelao debebat, Paridem secuta est, longique belli Græcos inter, atque Trojanos caussa fuit; rediit domum tamen *Sine decreto*, scilicet, opus non fuit procerum Græcorum suffragiis, ut reduceretur in patriam. Adeo aut culpa non fuit, aut levis admodum culpa fuit ejus adulterium.

IN LIBRUM TERTIUM.

ELEG. I, v. 3 Sed quomodo primum se dicit? an non & Catullus antea, & Gallus, & Calvus, & alii Elegiaco carmine inclaruerunt? Sed non dicit, se primum inter Romanos, qui Elegos scripserit; sed qui stylum, formamque Callimachi, ac Philetæ imitari ausus sit. Ait enim primum se ingressum esse per choros Grajos ferre orgia Itala; hoc est, ad exemplum Græcorum, præcipue vero duorum illorum, Romanas Musas docuisse Elegiacos versus conscribere: id quod alio loco sic effert:

Serta Philetæis certent Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna ministret aquas.

Minus recte ergo in Prolegomenis Vulpius falsi crimine Poetam insimulat. Verissime enim affirmat, se primum exstitisse inter Romanos, non quidem qui Elegiacum Poeseos ge-

nus coluerit, sed qui in Elegiaco genere Callimachum, & Phileram expresserit.

v. 5 Tenuare carmen, significare potest tam affabre, exacte, concinne versus componere, quam eos non ad Epicam majestatem, sed ad Elegorum humilitatem aptare. Posterior hic sensus placet magis, magisque cum sequentibus congruit.

v. 7 Longe quippe abire a se jubet eos, qui Phœbum morantur in armis; eos scilicet, qui malebant, Propertium ingenii sui vires totas convertere ad canenda prœlia, bellicasque res, invita Minerva, quum in hoc scribendi genere, nempe Elegiaco, famam sibi, celebritatemque nominis immortalem acquisiverit.

v. 11 Hanc celebritatem imagine usus triumphi Poetice describit; & quemadmodum in more positum erat, ut in eodem cum triumphante curru veherentur vel filii, vel conjunctissimi sanguine; sequerentur autem currum Imperatoris laureati milites, qui ejus ductu, auspiciisque pugnaverant: sic Amores in eodem curru erant cum Propertio, qui tam cultos illi versus dictaverant; sequebatur autem Poetarum turba, qui ad ejus imitationem scriptitabant.

v. 13 Distichon hoc obscurius est, & varie explicatur ab Interpretibus. Nihil attinet singulorum referre sententias; indicemus, quæ nostra sit. Quum antea dixerit, se celebrem factum Elegiaco carmine, eos carpit, qui velis, ut in proverbio est, remisque obstruere conabantur Propertii luminibus, & Epico versu gloriam promereri sibi majorem, quam ille sibi pepererat Elegiaco. Certabant ergo cum eo *missis habenis*, translatione ab aurigis sumta, qui in curuli certamine equis suis habenas laxabant, ut æmulum superarent in cursu. *Frustra* tamen, inquit Propertius, hunc vobis laborem, contentionemque sumitis. Cur *frustra*? Quia quum lata via sit, qua currimus ad Musas, hoc est, quum variæ species sint, figuræque Poeseos, per quas grassari ad laudem homines possunt, ut ego eam non ambio, quæ ex Epopeja gignitur, in qua exercemini; ita quoque incassum in eo elaboratis, ut meo

Hærentem capiti multa cum laude coronam

præripiatis Elegiarum scriptione mihi acquisitam. Hac enim interpretatione recepta & cum antecedentibus hæc, & cum consequentibus optime cohærebunt. Secundus versus cum interrogatione legendus, hoc modo:

Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via?

v. 15 Vide, quæ series rerum, & junctura oboriatur. Erunt quidem, qui Romam augebunt laudibus ex illis, qui Heroicam Poesin hodie colentes ejus victorias, & triumphos canent; illisque tantum abest ut invideam, quin gratulor magis. Ego vero voluptati honestæ Romanorum serviam, Elegiæ novam formam inducendo. Sic & gloria illis, mihique ex diverso erit ingenio, & carminum genere diversæ indoli, naturæque nostræ accommodatiore.

v. 25 Dum dicit equo illo Duratæo pulsas fuisse arces Trojæ, ostendit, se cum illis facere, qui, ut ait Ælius Tubero apud Servium in Æneid. II, machinamentum bellicum fuisse putarunt, quod equus appellatur, ut aries, & testudo, quibus discutiuntur muri, vel subruuntur.

v. 29 Recte de Heleno, & Pulydamante dicit *Sine armis*. Helenus enim vaticinandi arte, non bellica virtute pollens, & Pulydamas, tamquam ignavus, ac timidus ab Homero describitur in Iliade.

v. 31 Propertii sententia hæc est. Quemadmodum Poetæ non sinunt urgeri longa nocte, & oblivione deleri rerum gestarum memoriam, heroumque fortium, sed eam posteritati commendant; sic ipsi quoque recentes crescunt postera laude. Primum exemplo Trojæ, Trojanorumque ducum probat, qui illacrimabiles, ignotique obruerentur silentio, si caruissent Homero vate. Alterum Homeri ipsius exemplo ostendit, cujus celebritas eo major fit, quo plura labuntur secula. Inde quoque sibi nominis ampliorem famam auguratur. Hac perspecta Poetæ sententia, perspicitur simul, quam detorta, & a Propertii mente abhorrens sit Vulpiana versiculi hujus expositio. Simplicem enim, obviumque sensum habent hæc verba, *Exiguo sermone fores nunc*, *Ilion*, hunc nempe: Vix esset, qui de te loqueretur, o Troja, quamvis olim celeberrima fueris, quamvis expugnata bis ab Hercule, nisi de te Homerus cecinisset. Vide de eodem argumento Horatium lib. 4, Od. 7.

ELEG. II, v. 1 Dispescitur hæc quoque in duas Elegia, reclamante sententia, nexuque idearum. Dixerat enim, se ad Elegiacam Poesin naturæ voce invitari: se ex ea laudem, honoremque inter seros saltem nepotes acquisiturum. Redeamus igitur in orbem Elegiaci carminis. At quam sibi proposuit hujus materiam? Cynthiæ laudes. Redeamus ergo ad Cynthiæ laudes, ut ejus gratiam promereamur. Quid ni autem promereamur, quum & Orpheus, & Amphion inanima, & Deas Poliphemus cantu moverit? Quamvis igi-

tur minus divites simus, placemus puellis carmine, sed vicissim carmine eis immortalitatem nos conferimus nominis, quam nullum aliud artis conferre opus potest.

v. 18 Templum Olympii Jovis in Elide celeberrimum: templa autem Deorum domus appellabantur, ut in illo Juvenalis Sat. 4,

Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon.

Libon exstruxit. Phidias statuam Jovis ex auro, & ebore effinxit. Cælum autem imitata hæc domus dicitur a Poeta, sive quod pulchra adeo, & ornata erat, ut cæli ipsius pulchritudinem adumbraret; sive quod circa Jovis simulacrum essent industrie cælatæ Deorum effigies pene omnium cælestium; sive quod in templi fornice oculis exhiberentur adspectantium astra, quæ in cælo statos, definitosque cursus peragunt suos.

ELEG. III, v. 11 Hannibalem exercitum suum Romam usque duxisse timore consternatam, ut eam caperet, sed a Diis repulsum fuisse, terriculamentis quibusdam objectis, traditum memoriæ fuit; Tutanosque Genios illos appellatos, quod Urbem tutati sint; & ideo Propertius ait, Larium opera fugatum fuisse a sede Romana. Sed hæ Poetarum fictiones. Historici testantur, eum post Cannensem pugnam inopportune tempus trivisse, Maharbalisque consilium secutum non fuisse: postea signa movisse, & posuisse castra ad tertium ab Urbe lapidem: sed coorta tempestate deterritum, occasione jam amissa, reque infecta, copias reduxisse. Rem Juvenalis tangit Sat. 7, illis versibus:

Quicquid id est, de quo deliberat, an petat Urbem
A Cannis; an post nimbos, & fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes.

v. 13 Quomodo Phœbus speculatur jam jam admoventem Propertium ora Hippocrenæo fonti? Ex arbore nempe. An dicemus, eum connisum in arborem adspexisse bibentem? Sic Passeratius exponit: sic Vulpius. Atqui primum quidem minus decora videri potest imago hæc Dei sese, alitis modo, conjicientis in arborem, ut specularetur: deinde, si in arborem adscenderat, quomodo nixus erat ad antra aurata lyra? Dicamus igitur potius, Phœbum, dum niteretur lyræ auratæ prope antrum, oppositam habuisse arborem, quæ impedimento erat Propertio, ne illum videret. Deum vero ex arbore, hoc est, qua per arborem via oculis erat inter frondes ac folia, animadvertisse, quid ageretur a Propertio, eumdemque exclamasse. Ita enim dictum est *Ex arbore*,

Digitized by Google

quemadmodum diceretur, Ex flumine, Ex aquis, Ex nebula, quod idem quandoque valet, atque, Per nebulam, Per flumen, Per aquas, seu ut lingua nostra, a Torquato dictum fuit:

Ecco tra fronde, e fronde il guardo avante
Penetra, e vede, o pargli di vedere,
Vede pur certo il Vago, e la Diletta,
Ch'egli è in grembo alla donna, essa all'erbetta.

v. 19 Libelli ii jactantur sæpe in scamno, modo sumuntur in manus, modo deponuntur, quos voluptatis caussa, otiique fallendi mulierculæ vel oscitantes lectitant, vel sopitos amoris igniculos excitaturæ. Tales porro libellos scribere tantum Propertius debebat, ut aliquam sibi nominis famam compararet, & in ora virûm veniret.

v. 43 Marii bella, ac victorias de Cimbris, ac Teutonibus variis in locis, in Italia, Galliaque profligatis: sed de Marianis expeditionibus passim Scriptores, & præcipue consulendus Plutarchus in Vita Marii.

v. 49 Excantare proprie dicebantur, qui magico cantu, præstigiisque fruges ex vicinis agris traducere, ac movere loco posse credebantur. Unde illud in Decemviralibus Legibus: *Si quis fruges excantassit.* Hinc *sidera excantata voce Thessala* Horatius Ep. 5: hinc Propertius versibus mollibus, amatoriisque suis vim dixit inesse Excantandi, hoc est, e domo eliciendi mulieres, quas dura premit maritorum custodia.

ELEG. IV, v. 1 Deum vocat Augustum. Jam enim ab anno U. C. DCCXXV divinis honoribus eum prosequebantur Romani, Sacerdotum Augustalium collegio instituto, aris exstructis, juramentisque in ejus nomen & delatis, & receptis. Supervacaneum esset immorari in hoc: plena est testimoniorum antiquitas. Sed, quandonam meditatus est arma ad Indiam usque, & ultra gemmiferum mare inferre? Quum vero anno DCCXXIV Ælius Largus Ægypti Præfectus in Arabiam Felicem exercitum movisset, Augustusque molem belli ingentem adversus Parthos, aliosque Orientis populos pararet, ipseque ostenderet se in Asiam iturum, ut revera ivit post tertium ab hoc annum; percrebuit rumor, eum expeditionem suscipere adversus Indos quoque, & remotissimas Gangaridum, Serumque gentes. Quæ fama adeo invaluit, ut Porus Indorum Rex legatos ad pacem impetrandam, fœdusque cum Romanis feriendum ultro miserit. In hoc armorum, bellorumque apparatu Propertius

hanc Elegiam ſcripſit; ut proinde edita videatur eo ferme tempore, quo Elegia X Lib. II ſcripta fuit, in qua canit:

Jam negat Euphrates equites poſt terga tueri
Parthorum, & Craſſos ſe tenuiſſe dolet.
India quin, Auguſte, tuo dat colla triumpho;
Et domus intactæ te tremit Arabia.

v. 5 Alii legunt *Sera, ſed Auſoniis veniet provincia virgis.* Tum vero ſenſus erit, Meſopotamiam, inter Tigrim, & Euphratem ſitam, eaque, quæ ultra Tigrim ſunt, bello occupata in formam provinciæ juri Romanorum ſubjectæ redactum iri, Romanumque Jovem viſurum ſuperbis Capitolini templi poſtibus adfixa trophæa de triumphatis Parthis. Alii legunt: *Seres & Auſoniis venient provincia virgis:* quaſi & ipſi Seres, extremi ad Orientem populi, non vero Parthi ſolum, vincendi eſſent, & in provinciam redigendi. Utraque ſana, & commoda lectio; ſed poſterior hæc, quæ Parthis Seras quoque conjungit, magno ſe judice, Horatio nempe, tuetur, qui lib. 1, Od. 12 de Auguſto canit:

Ille, ſeu Parthos Latio imminentes,
Egerit juſto domitos triumpho;
Sive ſubjectos Orientis oris
Seras, & Indos.

v. 8 Quid ſignificet hoc, quod de equis armigeris dicit, ut ſolitum munus ducant, & Paſſeratius anxie inquirit, & Vulpius ſe ignorare fatetur. Dicemus nos ſcire? Non id quidem audemus; proponamus tamen doctioribus conjecturam quoque noſtram. *Ducere munus* apud Latinos idem valet, ac *Capere præmium*: unde & Ovidius Lib. 10 Metam. v. 680:

Duxit ſua præmia victor.

Romani porro equites jam jam in expeditionem mittendi equum phaleratum, ſtipendia, arma e publico accipiebant, aliaque inſignia, & decora, ad virtutem incitamenta; qua de re Eybenius in Opuſculo De Equ. Rom. Ad hunc morem Propertius alludens ait:

Et ſolitum armigeri ducite munus equi;

equos ipſos allocutus, quemadmodum ſuperiore verſu Naves.

v. 9 Cladem inſignem Romanorum, Craſſorumque funera expianda fore ominatur Parthici regni excidio, abolendamque ex hiſtoriæ monumentis memoriam Antonianorum temporum celebritate victoriarum, quas Auguſto duce, & auſpice reportaturi modo erant Romani.

v. 16 Deferebantur in triumphis imagines, ac ſimulacra fluviorum, oppidorumque, ac regionum devictarum. Singulis

affixæ erant tabellæ, quibus inſcripta erant nomina Urbium, locorumque, eaque a ſpectatoribus legebantur, dum triumphus procederet.

ELEG. V, v. 1 Nova hinc incipit Elegia. Minus recte, si quid video. Rationes enim orditur reddere Propertius, cur & per ætatem aptus ad militiam, & eo ordine natus, quem militia deceret, arma tamen detrectaret, & vivere mallet in otio. Princeps cauſſa amor Cynthiæ. Alteram e veſtigio ſubjicit.

v. 3 Ea porro eſt, quia homines ad bella amore prædæ, & avaritiæ trahuntur: qui amor quum in me nullus ſit, non eſt, cur militiam ſequi ego debeam. Inviſum aurum vocat. Paſſeratius explicat, Aurum, quod male Propertius oderat. Vulpius, quod oderat, quia a pecunioſis rivalibus excludebatur. Ego *Inviſum* pro non adhuc cognito, non adhuc viſo, uſurpatum a Propertio puto, quemadmodum uſurpat Cicero in ea, quæ De Haruſpicum Reſponſis eſt, Oratione. Quum autem invaluiſſet opinio, Indiam, ceteraſque Orientis plagas & gemmis, & auro refertiſſimas eſſe; divitiarum ignotarum cupido mentes inflammabat magis, magiſque ad bellum tam felicibus populis inferendum: unde ea Horatii ſunt lib. 3, Od. XXIV:

Intactis opulentior
Theſauris Arabum, & divitis Indiæ.

Sed Propertius ait, ſe nulla cupiditate moveri auri earum regionum, quamvis inviſi, ac propterea, quod magis curioſitatem, avaritiamque ſollicitaret.

v. 6 Corinthiacum æs, vaſaque ex eo conflata in pretio maximo erant apud antiquos. Quum vero æs hoc ex mixtura exſtitiſſet variorum metallorum, quæ fuſa fuerant clade illa, & incendio Corinthi; ideo dicit, ſe non petere, non parare ſibi æra ex Corinthiaca clade.

v. 18 Parcam diem intelligimus eam, quæ ſecundum naturæ curſum, exque decreto Parcarum finem cuique allatura eſt vitæ, ἡμέραν πεπρωμένην Græci dicunt. Ea demum die adveniens optima mors eſt, non vero ea, quam ultro ante diem, & furore accenſi accerſunt ſibi quicumque caput objectant belli periculis.

v. 19 Ecce curſum vitæ, quem ſibi inſtituendum Poeta proponit. Amori, voluptatibuſque ſe totum dedere, dum juvenis eſt: ex quo colligitur, eum juvenem adhuc fuiſſe, dum hæc ſcribebat: ingraveſcente vero ætate, ſe eam totam Philoſophiæ ſtudiis tranſmiſſurum.

Digitized by Google

v. 29 Ventis agitatur semper mare. Hujus rei caussas se quæsiturum promittit. Violentior autem incidere solet navigiis Eurus, ut adnotavit Virgilius quoque in Georgicis. Rationem phænomeni investigaturum se profitetur, ut & aliorum præterea multorum Astronomicorum, Physicorumque.

v. 47 Postremus versus vel iste docere debuisset, Elegiæ partem hanc esse superioris. Ex his enim, quæ exposuit, omnibus concludit, ne meditante quidem Cæsare bellum, quod & honore, & divitiis aucturum milites esset, arma sibi paci esse, & otio præferenda.

ELEG. VI, v. 20 Promiserat sancte Propertius, se fidem servaturum Cynthiæ: promiserat autem, teste Lygdamo: quia porro servi testes esse non poterant jure civili, ideoque impune inficiari promissum poterat; ad jus naturæ provocat Cynthia, aitque, pœnæ esse, seu culpam contrahi, si negetur id, quod vel teste servo promissum fuit.

v. 22 Spissas hic ait suboriri sibi tenebras Broukhusius, nec eas discutit Passeratius, vel Vulpius. Quod si hunc versum ita legamus

Æqualem nullas dicere habere domos,

apertissimus exsculpitur sensus hic: Potuisse eum dicere, tam pulchram amabilemque novam illam esse amicam, ut nullibi ei par reperiatur. Quid autem facilius est, quam ut vel non animadversa, vel detrita in MSS. finalis litera lectionem induxerit, cui nulla subjecta potest esse sententia?

v. 25 Nec nomine appellat rivalem, cujus veneficiis, non venustati, non probis moribus, excultisque adscribit, quod eam præ se amaret Poeta. Sed fuit ne isthæc Chloris illa, de qua sic Cynthia eadem conqueritur lib. 4, eleg. 7?

Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Chloridos herba tenet.

v. 26 Non herbarum tantum, sed aliorum quoque magicorum veneficiorum vi ad expugnandum Propertii animum improba rivalis illa usa est, rota scilicet rhombi, vel turbine. Laneis enim filis involvebant ferreum, ligneumque torquem; quem postea in vertiginem rotabant, eoque circumducto in unam partem, afflari amorem; circumducto in adversam, amorem exstingui credebant. Unde illud Horatii in Canidiam Od. 17, lib. v:

Citumque retro solve, solve turbinem;

& illa Theocriti Idill. 2:

Χ'ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτης,
Ὣς κεῖνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέρῃσι θύρῃσιν.

Digitized by Google

v. 27 Ranæ rubetæ sanguinem, strigis plumas per sepulcra inventas, mortuorum ossa, unguium præsegmina, vittas, tæniasque mortuali toro circumdatas memorat. His enim omnibus efficaciam inesse ad veneficia, & amatoria philtra credebant. Canidia quoque apud Horatium lib. 5, Od. 5:

Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis
Flammis aduri Colchicis.

ELEG. VII, v. 5 Mors, quæ ex naufragio obvenit Pæto, lucrum ex mercatura captanti, materiem præbuit cultissimæ huic, & omnibus ingenii luminibus litæ Elegiæ. Passeratius in eam inclinat sententiam, ut existimet, Pætum hunc, de quo Propertius, esse illum eumdem Arrium Pætum, in quem lepidum exstat Catulli epigramma. Enavigavit ille enim in Syriam, Propertianus iste in Ægyptum. Pro tumulo habuit ille Ionium, habuit hic mare Carpathium, quod idem pene est, ac Ionium. Belle ista conveniunt; sed utriusque ætas minime congruit. Primus enim ille, vivente adhuc Catullo, naufragium fecit. Catullus porro natus est anno ab U. C. DCLXVIII; obiit, Julio Cæsare adhuc vivente circa annum DCCV, si Bælio, & Fabricio; aut si Scaligero, & Casaubono adstipulamur, post Cæsaris necem, sed certe ante Augusti imperium. Alter vero Propertio familiaris fuit, qui eum ab hoc maritimo itinere dehortabatur. Atqui Propertius adhuc infans erat tempore Perusini belli, hoc est anno ab U. C. DCCXII. Igitur Pætus Propertii, qui teneris annis primæ lanuginis naufragio periit, ille esse non potuit, qui, vivente adhuc Catullo, obiit in mari Ionio.

v. 19 Interpretemur distichon ita: Pæte, tempestate ingruente noctis tempore, navem tuam ad saxa rudentibus alligasti: sed vincula omnia, quibus eam nexuisti, detrita ceciderunt, allisaque ad scopulos soluta navis est tua.

v. 21 Exemplo probat Argyni, quam infidum sit mare. Adamatus ab Agamemnone adolescens, dum per lasciviam Cephisi aquis natat, abripitur earum cursu in mare, ibique submergitur. Dum amissum puerum investigat Agamemnon, morasque nectit, ventos caussando, Aulide classis non solvit; & ideo Iphigenia mactata est, quum & Propertius ipse, & alii, cervam pro puella suppositam fuisse dixerint.

v. 32 Ex eo vehementer in usum navigationis invehitur, quod

per eam vias mortis nostræ, quas jam natura aperuerat, augeamus, multiplicemusque, eundo in pelagus, & vocando in nos fata cessantia, ut eleganter Seneca Nat. Quæst. lib. 5, cap. 18.

v. 39 Atqui evenit, ut felix multi, tutumque iter per mare peregerint. Vere, respondet Propertius: sed id raro, vel semel continget. In exemplum adducit Græcorum classem, quæ quum prospere ad Trojam appulisset, primo itinere; altero, quum inde victrix rediret, partim disjecta, partim submersa est ad Capharea saxa. In exemplum adducit Ulyxem, qui variis erroribus jactatus, diversis temporibus, diversisque locis jacturam rerum flevit, sociorumque. Sed & illis, & hoc longe infelicior Pætus, qui prima statim navigatione & sua omnia, & vitam amisit.

v. 47 Pæti casum miserabiliorem reddunt multa: ejus conditio in primis, vitaque in deliciis acta. Videtur Vulpio hic deesse, nec cohærere cum hoc versu sequentia. Cohærere tamen non inepte poterunt, si ita legamus:

Sed thyæ thalamo, aut Oriciæ terebynthi
Effulto pluma versicolore caput
Huic fluctus vivo &c.

Tunc enim erit sensus: Non poterat intrepido animo stridentem procellam audire: non poterat teneris manibus nauticos funes adstrictos tenere, qui in cubili aut cedrino, aut ex terebyntho Epirotico (Oricos enim Epiri oppidum erat) assueverat somnos ducere, & fulcire pulvillis caput pluma versicolore tumentibus, quales erant referti plumis perdicum, columbarumque.

v. 60 Miseratione plenissima oratio; ex ætate, & pietate erga Deos adolescentuli jam jam morituri. Navim enim ingressurus officia non neglexerat religionis, opem marinorum Numinum implorando. Longas quippe manus attulerat in freta; supplicantium quippe mos erat, protendere brachia, sive ἀνατείνειν τὰς χεῖρας. Exsrat apud Orpheum in Argon. de ritu hoc locus mirifice Propertium illustrans v. 329:

Δὴ τότ' ἐγὼ πρὸς χεῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσας
χεῖρας ἐκπετάσας, τὰ δ' ἀπὸ γλώσσης ἀγόρευσα.
Tum vero ipse manus resonantis in æquoris undas
Suppliciter tendens has fundo e pectore voces.

ELEG. VIII, v. 1 Frequentissimæ erant comessationes, ac pervigilia Romanarum mulierum. Nox tota absumebatur edendo, potando, saltando ad lucernas, quarum tenue, extremumque lumen erat jam humore defectarum, injiciente re-

dios in vina die. Audiemus infra nostrum Cynthiæ dicentem:
Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat.

v. 11 Ut ἀνάκωθον tollatur, ex præcedenti versiculo supplendum est. Illa mulier vere ex amore dolet, *Quæ mulier rabida* &c.

v. 35 Insultas mihi, o Cynthia, maledicis, ad alios amores deflectis. Impune id quidem facis, stantque tibi in meum caput superba regna, quia noscis pulchritudinem tuam. Sed si minus forma polleres, magno tibi starent injuriæ, quibus me afficis: te enim ultro, citoque desererem.

ELEG. IX, v. 2 Ex ordine equestri Mæcenas natus, in amicitiam Augusti adscitus, prudentiæ fama celebris, & Quiritibus omnibus carus oblatos sibi honores constanter respuit, nec ultra equestrem locum procedere voluit; ideo fuisse dicitur *Intra fortunam*; hoc est, longe minora sectatus, quam quæ ei offerebat fortuna: quo sensu & Quintilianus dixit, scripta Hortensii *Intra famam* fuisse, & Florus, Cleopatræ pulchritudinem fuisse *Intra pudicitiam* Augusti.

v. 3 Stimulabat Mæcenas Propertium ad heroica carmina, laudesque Augusti conscribendas; opus par ejus ingenio. Ille vero principio se excusat, quod lapsurus sit sub onere, si tantum opus attigerit, eo plane more, modoque, quo se excusat Horatius Ode xv, lib. 4:

Phœbus volentem prœlia me loqui,
Victas & urbes, increpuit lyra,
Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem.

v. 8 Commoda sane Lipsii conjectura legentis:
Fama nec ex æquo ducitur una jugo.

Quum enim *Jugum* fontem, caput, originemque significet, nec vero ex eodem fonte rivuli ducti iidem sint; ita quoque ex eodem quasi Poeseos fonte non eadem fama derivatur in omnes. Alii enim ex Epica, alii ex Tragica, ex Lyrica alii, Elegiacaque famam trahunt, prout quis ad hanc potius, quam ad aliam carminum speciem natura factus est. Hoc autem & sculptorum, & pictorum appositis exemplis illustrat, & ornat, ut inde concludat, Se ex Epico carmine laudem assecuturum non esse, quamvis sperare eam possit ex alio quopiam scribendi genere.

v. 9 Lysippum, & Calamidem, statuarium utrumque, componit. Uterque ex ære fundebat simulacra: sed in effingendis hominibus excellebat Lysippus, Calamis in bigis, quadrigisque, & equis exprimendis sine æmulo.

v. 12 Qua arte Ephesius Parrhasius picturam ditavit, ut principem sibi in ea locum, vel saltem ab Apelle secundum sibi vindicaret? Plinii locum referamus ex Lib. 35, cap. 10 H. N. *Parrhasius Ephesi natus, primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus.*

v. 13 In cælatura insignes duo; Mentor, ac Mys. Dissimiles tamen inter se. Myos enim opera argumentis carebant; non historicum factum aliquod exprimebant; non figuris hominum, ferarumque variis, multiplicibusque distinguebantur: flores tantum, hederarumque, & acanthi flexus admirabili subtilitate in poculis, vasisque repræsentabat. Mentor formæ addebat argumenta; scilicet fabulas integras, historiasque, quo sensu Virgilius lib. 7 Æneid. clypeum Turni describens hoc vocabulo utitur illis versibus:

At lævem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.

Non video igitur, cur eruditissimo Vulpio obscura, & perplexa visa fuerit versiculi hujus sententia.

v. 21 Quum hactenus institisset in eo, Epicum a se carmen tentandum non esse, ad quod compositus natura non erat, cujus tamen sequenda sunt semina ab unoquoque; modo rationem urget aliam ab ipsius Mæcenatis exemplo, institutoque petitam. Legem normamque vivendi te mihi esse constituo. Tu vero, quum possis ad summa quæque adspirare, contentus angusto clavo ea non adfectas, nec concupiscis; admones me quoque, ut amorem mei cæcum comprimam, nec res graves, heroicasque tractare aggrediar.

v. 41 Sed verum ne est, pressa fuisse Trojana mœnia aratro Grajo? Non constat id quidem veterum testimonio. Dicamus igitur, usum Poetarum licentia Propertium Romanorum mores transtulisse ad Græcos. Illi enim victas hostium urbes diruebant; dirutas aratro premebant, ignominiæ caussa, reducebantque in arva. Hinc illud Horatii lib. 1, od. 16:

Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ultimæ
Stetere caussæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Hinc D. Hieronymus in Zachar. cap. 8 memorat, aratum Hie-

Hierosolymorum templum in ignominiam gentis aggressæ a Tito Annio Rufo.

v. 47 Quid est, *Te duce?* Te scilicet jubente, non suadente tantum, & admonente: Te, exemplo vitæ tuæ mihi, ut majora audeam, præcipiente.

v. 60 Hoc laudis Mæcenas Propertio concedebat, ut ejus ille & fautor, & rector studiorum haberetur, eidemque juveni adhuc certam scribendi viam designaret quodammodo, atque perscriberet. Dum vero ait, quod putaretur fuisse in partes Mæcenatis, hunc intellectum habet, se genere quoque ipso vitæ, animique moderatione, & ut ne tolleret vacuum plus nimio gloria verticem, Mæcenatem eumdem pro exemplo habuisse.

ELEG. X, v. 1 Apparent Propertio dormienti Musæ: apparent mane, quum scilicet sunt *somnia vera:* apparent, mittuntque seu dant signum, eum esse diem amicæ natalem. Natalis porro dies non tantum cuique proprius, sed amicorum quoque, patronorumque a clientibus, amicisque magno cum gaudio, ac solenni pompa celebrabatur. Sic & Horatius de natali Mæcenatis die Od. XI, lib. 4, quæ Elegiæ Propertianæ maximam afferre lucem potest, ait:

Jure solennis mihi, sanctiorque
Pane natali proprio, quod ex hac
Luce Mæcenas meus affluentes
Ordinat annos.

v. 12 Non video quid obscurum, & ambiguum sit in hoc versu, nisi forte, quod quidem mirandum non est, video minus, quam eruditissimus Vulpius. Ordo sit hic verborum: *Precare deos poscentes justa.* Natalis enim erat dies Cynthiæ. Die natali Genius sibi poscebat vota, preces, sacrificia. Surgat illa ergo; & preces, & vota, & sacrificia debita rite persolvat. An potest esse aliqua horum verborum ambiguitas?

v. 13 Primum illud religionis officium, somnum pura lympha discutere. Recte enim Casaubonus admonuit, ex veterum superstitione noctem aquæ ablutione purgandam esse, ut sancte aliquid posceretur a numinibus, & idcirco Persium dixisse Sat. 2, v. 15:

Hac sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

v. 26 Eo evadebat in conviviis hisce nocturnis comessantium petulantia, atque licentia, ut tota quoque vicinia eorum clamoribus personaret, obtento huic proterviæ religionis ve-

lo. Sive legamus *Aram*, sive *Oram* vicinæ viæ; id quoque contigit in ea natalitia Cynthiæ festivitate. Contigerat idem in cœna, qua Horatius Auguratum Murenæ celebravit. Inquit enim Od. 19, lib. 3:

Insanire juvat . . . audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina seni non habilis Lyco.

v. 29 Modus erat bibendi. Nec enim infundi poculis amplius, quam tres cyathi debebant, nec plus quam terna vice siccari. Sed in ea nocte, in eo natalitio convivio & adhibebantur calices quatuor cyathos continentes, & non tres tantum, sed multi hujusmodi calices epotabantur. Consulatur erudita Andreæ Dacerii explicatio ejus Horatianæ Odes, quam modo indicavimus.

ELEG. XI, v. 5 Non nisi experientia docentur homines, quæ vera sunt. Assiduo maris usu discit navita impendentem tempestatem; & vulneribus, quæ accepit, discit miles, quæ cautio ipsi sit adhibenda in periculis. Ego quoque amoris adhuc expers, & fervore juventutis deceptus ignavos, desidesque eos esse dicebam, qui non, simul ac vellent, assererent se in libertatem, & a feminæ alicujus amore subtraherent. Nunc vero exemplo meo, exemplis aliorum fateri cogor, admodum difficile esse laqueis amoris animum expedire, nec quidvis vel facere, vel pati, quod imperet ille.

v. 13 Post Medeæ exemplum testem impotentiæ amoris Achillem producit, qui visam Penthesileam hostem suam, omniumque Græcorum perdite adamavit, exque ea Caystrum filium suscepit. Hanc enim de Amazone illa a veteribus traditam memoriæ narrationem secutus esse Propertius videtur, quam Servius indicat ad Lib. Æneid. xi. Vulgo dicunt, eam cum Achille congressam, ab eodemque interfectam. Si nihil aliud, quid valet Penthesileæ exemplum? aut quomodo

Vicit victorem candida forma virum?

v. 21 Post Herculis, & Omphales exemplum Semiramis adducitur. Sed quid de illa? Babylonem muro cinxisse; Euphratem per eam medium immisisse; Urbem Bactra exædificasse: nihil vero de ejus amore. Ad quid ergo affertur Semiramis? Aut fortasse desunt hic aliqua; aut intelligendum est, tam grandia hæc effecta a Semiramide, non ex virtute, sed ex Nini amore, quo tenebatur. Persarum autem Babylonem appellat Propertius temporum suorum rationem habens: Assyriorum enim fuerat, quum condita a Semiramide fuit.

v. 29 Opprobrio Cleopatra Romanis fuit coactis cum femina pugnare, quibus ferocissimæ quæque gentes cesserunt. Nec solum feminam appellat, sed libidine perditam, quæ se famulis quoque suis prostitueret.

v. 34 Memphin posuit, unam ex potioribus Ægypti urbibus, pro Ægypto ipsa. Cur autem eam vocat cruentam malo Romanorum? Quia & Gabinius multum in reducendo Ptolomæo copiarum amisit: Cæsar Alexandriæ obsessus, difficillimoque bello implicatus: Antonius ibidem occisus, interfectusque miserum in modum Pompejus post peragratum pæne totum Orbem victoriis, & trium triumphorum honorem.

v. 39 E Philippo Alexandri patre genus se duxisse jactare Cleopatra poterat; siquidem, Curtio teste lib. 9, Ptolomæus, ex quo Ægyptii reges, sanguine conjunctus erat, & quidam Philippo genitum esse credebant: certe e pellice ejus ortum esse constabat. Sed avos tam illustres traducebat vitæ suæ licentia, & dementi ambitione Cleopatra, in qua tota Lagidarum gens periit.

v. 44 Barides erant cymbæ, quibus ad sepulturam evehebantur cadavera apud Ægyptios: contis, perticisque subigebantur. Sic appellat Propertius naves classis exornatæ a Cleopatra, indignationi odioque serviens, non historicæ veritati. Revera enim Ægyptiæ naves magnæ molis erant, turribus, ac tabulatis allevatæ, castellorum & urbium specie, quæ non sine gemitu maris, & ventorum labore ferebantur. Verius Horatius ad Mæcenatem ad bellum Actiacum cum Augusto iturum dixit Epod. 1:

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula.

Verius alibi Noster magnitudinem Ægyptiarum navium indicaturus dixit:

Nec te, centenis quod classis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ centaurica saxa minantes,
Tigna cava, & pictos experiere metus.

v. 52 Sed Cleopatra vincula Romana non accepit; prævertit enim ignominiosam captivitatem generosiore morte. Quo tamen mortis genere perierit, incertum semper fuit. Communior opinio est, illam aspides sibi admovisse, & eorum morsu venenatam decessisse. Quod igitur hic Poeta affirmat, non de Cleopatra ipsa, sed de ejus imagine intelligendum est, quæ in Augusti triumphali pompa Reginam catenis vinctam exhibebat spectantium oculis. Sed ipsa, ut elegan-

Digitized by Google

ter Horatius lib. 1, Od. 37, ex qua Propertio lux affulget,

. . . . generosius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe cita reparavit oras.
Ausa & jacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior:
Sævis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

Conferant studiosi inter se de eodem argumento scribentium par illustre Poetarum.

v. 59 Quum dixisset, Romam timuisse bellum ab Antonio, & Cleopatra sibi illatum, justam timendi caussam non fuisse addit, custode rerum Cæsare. Deos enim, in quorum tutela Roma erat, temporibus quibuscumque reipublicæ difficillimis excitasse fortissimos viros, per quos a periculo liberaretur; ut nunc quoque contigit Augusti vel fortuna, vel sapientia.

v. 67 Hanc vero Augusti victoriam & Scipionum rebus gestis, & Camilli de Gallis, & Pompeji de Mithridate victoriis longe anteponendam prædicat.

ELEG. XII, v. 1 Anno ab U. C. DCCXXXIII Tiberius exercitum Romanum in Orientem duxit, Tigranem solio Armeniæ, Phraatem Cyri solio restituit, Augusto Ephesum usque profecto, & magnam belli molem in Parthos adparante. Postumus prædæ cupiditate illectus signa Tiberii secutus, relicta Romæ conjuge Galla, in Orientem proficiscitur, ad quem hæc venustissima est Propertii Elegia intempestivam in eo militiam reprehendentis.

v. 9 Unde præcipue Gallam laudat? Ex conjugali amore: & quod, absente marito, de eo semper sollicita futura sit, ne triste aliquid, ac sinistrum ipsi contingat: & quod ab eodem deserta, adolescentula adhuc, Romæ degens, sine tutore aliquo & custode, in tanta vivendi licentia, pudicitiam, maritalemque fidem sit ei servatura: ex quo eamdem Penelopæ ipsi anteponit.

v. 27 Loton, herbam tenacem vocat, quia ex sociis Ulyxis quicumque eam comederant, ducem suum sequi postea detrectabant. Lege Odyss. Homeri.

v. 29 Quum ad litus Siciliæ appulisset Ulyxes, pescentes in

eo boves reperit. Fame malesuada coactus, mactat, assatque. Dum assat, *Horrendum, dictuque videt mirabile monstrum. Quum enim coquerentur carnes, ex abeno dabant balatus*, ut Hyginus ait Fab. 135, seu ut Homerus Odyss. XII, cui magis adhæret Propertius, ubi *κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμέμυκεν . . . . βοῶν ὡς γίνετο φωνή*. Sed nimirum boves illi erant Phœbo sacri: Phœbo paverat Lampetie, ejus filia. Phœbus vero, re sibi a filia nuntiata, prodigium immisit.

ELEG. XIII, v. 5 Est regio septemtrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur. In ea formicæ aurum ex cavernis terræ egerentes, quibus color felium, magnitudo luporum. Quod eruunt illæ tempore hiberno, Indi furantur æstivo, formicis conditis propter calorem in cuniculos. Hanc de formicis sive fabulam, sive historiam, præter Plinium lib. XI, cap. 31, & Arrianus, & Ælianus, & multi prodiderunt alii: hanc eruditissimus Poeta versibus nunc inserit suis.

v. 10 Icariotin Penelopen vocat, Icarii filiam. Dum autem ait, esse nonnullas, quæ *terunt* ejus *fastus*, perinde est, ac si dixisset: Quæ imitantur Penelopes fastidia superba, nimiamque in procos severitatem.

v. 15 Turpis lucri, aurique sacra fames expulit ex animis Romanarum mulierum omnem penitus conjugalem amorem, fidemque. Quam longe nostræ distant ab Indarum moribus, quæ, ut ait Cicero Tusc. V, *Quum est earum vir mortuus, in certamen, judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit. Quæ est victrix, ea læta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur: illa victa, mœsta discedit*. At Romæ frustra exspectes aut Evadnen aliquam, quæ mortuo, aut Penelopen, quæ vivo sit fida marito.

v. 50 Divitiarum cupiditas malorum fons omnium. Jura omnia, legesque perrumpit: sensum pudoris penitus exstinguit: impios, sacrilegosque homines efficit. Idquum probavisset exemplis, idem hoc cupiditatis, & avaritiæ vitium excidio quoque Romanæ genti futurum vaticinatur.

ELEG. XIV, v. 2 Quæ majora veluti bona palæstricorum ludorum apud Spartanos miratur? Quod in illis puellæ quoque exercerentur, & nudato corpore consisterent inter adolescentes: unde hæ φαινομηρίδες, ἀχίτωνες apud veteres dicebantur. Infames apud alias gentes fierent feminæ, quæ sese nudas oculis virorum præberent; sed ludi illi infamia non adspergebant Lacænas virgines, quos nudæ exercebant.

v. 6 Primum ludum Pilam facit, in quo laus erat magna,

si jactata vi per aerem manu repelleretur, rejiceretürque, ne in terram decideret. Alterum vero, Trochum. Et rota quædam ferrea, vel ærea Trochus erat, circum quam annuli, crepitum edentes, quo viatores admonerentur, ut ab itinere paullisper deflectentes trochi occursum caverent. Impellebatur virga, quam ἐλατῆρα vocabant, in cujus summitate uncus erat, quem Clavim aduncam appellat Poeta. Sed de Trocho videndus Mercurialis De Arte Gymn. lib. 3, cap. 8.

v. 8 Sequitur Cursus exercitatio, & Pancratium. De significatione hujus vocis dubitatum est inter veteres. Sed in eorum ferme itum est sententiam, qui cum Aristotele Pancratiastas eos dicunt, qui eodem tempore & Lucta, & Pugilatu decertabant, unde *Pancratium* & ludus, & locus est, in quo & luctando, & pugnis feriendo iidem simul contendebant, ex quo & *Durum* vocat, & *Vulnera* memorat Noster. Mox Cæstus, & Disci mentionem facit, ex quibus efficitur, Lacædemonias virgines & Cæstu, & Pancratio dimicasse. Atqui falsi arguit Propertium & Plutarchus, qui Licurgi legé ea interdicta Spartanis fuisse testatur certamina, ἐν οἷς χεὶρ ἀνατείνεται: manus autem & in Pancratio, & in Cæstu tollebatur, ut etiam in Disco. Arguit expresse Seneca, qui lib. 5 de Benef. cap. 3, *Lucedæmonii*, inquit, *vetant suos Pancratio, aut Cæstu decernere*. Quomodo igitur revocabimus in concordiam Callimachum Umbrum nostrum? Revocabimus facile usi eruditissimi Viri Jacobi Mazzonii doctrina, qui in Def. Dant. lib. 3, cap. 25 animadvertit, ex privilegio Poetarum generi tributo, Propertium ea, quæ antiquiore tempore in usu erant apud Spartanos, transtulisse ad posteriorem ætatem, qua jam ab usu recesserant. Ante Licurgi legislationem ludis & Cæstuum, & Luctæ, & Pugilatus Spartani assueverant, ut testis ipse Pollux est, πὺξ ἀγαθὸς, nobilisque, ut Horatius ait Lib. 1. Od. 12: *Superare pugnis*. De hoc ergo more tamquam recepto etiam post Licurgum Propertius loquitur.

ELEG. XV, v. 3 In Cynthiæ servitio erat Lycinna, quacum adolescentulum adhuc consuetudinem se habuisse Propertius fatetur, quam abruperat postea Cynthiæ ipsius amore captus. Sed, quum illa timeret, ne etiamnum rei aliquid cum Lycinna amatori suo esset, eamque ideo male haberet, torqueretque; hac Elegia totus est in eo, ut zelotypam amicam placet, exemploque Dirces, quæ vexatæ Antiopes pœnas luit Jovi, a vexanda ancilla deterreat. Ait ergo se consuevisse cum Lycinna, statim ac prætextam togam depo-

ſuit, virilemque ſumſit, poſt pubertatem. Uſque dum prætextati erant pueri, ſub cuſtode vivebant; ſui omnino juris eſſe incipiebant, toga candida induta. Appoſite igitur dicit, pudorem ſibi exvelatum, exutum, depoſitum, depoſito amictu prætextæ; nec ullo modo ferri poteſt Vulpii lectio, *Pudor eſt velatus amictu*, multoque minus ejus interpretatio. Quamvis enim admiſerimus, pudorem amitti, cooperta facie, oculiſque; quomodo perire pudor poterat Propertio, tegenti prætexta oppoſita vultum, ſi jam eam depoſuerat? Ad interpretationem Propertiani hujus loci unice facit locus Perſii Sat. v, v. 30:

Quum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit:
Quum blandi comites, totaque impune Suburrà
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

v. 10 Recte admonuit Vulpius transferendum huc eſſe, veluti in ſedem ſuam, penultimum diſtichon, ut junctura poematii conſtet.

v. 11 Fabula, quam tangit Propertius, hæc eſt. Nicteos Thebarum Regis Antiope filia compreſſa a Jove, ex quo Zethum Amphionemque concepit, ac peperit, ad Epopeum confugit, qui eam in uxorem duxit. Nycteus Lyco fratri mandavit, ut & Epopeum, & Antiopen puniret, quum jam ipſe geminam filiæ prolem exponendam curaſſet. Epopeus a Lyco interficitur: Antiope in ſervitutem ducitur, Dircæque, imperioſiſſimæ feminæ, quæ Lyco nupſerat, addicitur. Sed, quum hæc in cognitionem veniſſet, Antiopen ſervam plus nimio conjugi Lyco placuiſſe, efferata rabie omnibus in miſeram modis ſævire cœpit. E carcere Antiope effugit: filios adit, a quibus matrem minime agnoſcentibus rejicitur: ſed mox a paſtore admoniti, qui illos expoſitos ſuſceperat, nutrierat, educarat, eam utriuſque matrem eſſe, errantem, ac ſemimortuam perſequuntur, inveniuntque. Eorum manu Lycus obtruncatur; Dirce vero crinibus ad indomitum taurum religata diſcerpitur. Hæc ab Apollodoro, Hygino, & Mythologis aliis narratio rei eſt. Verba modo expendamus.

v. 13 Sæva Dirce in Antiopen fuit *Vero crimine*, hoc eſt, quum verum eſſet, eam Lyco accubuiſſe. Quod ſi illa adeo punita eſt, quod pluſquam civiliter in ancillam ſævierit veri criminis ream; cave tu, ne vexes Lycinnam nulli criminii obnoxiam, ex quo amare te cœpi.

v. 23 Propertius Antiopen narrat, collectis viribus, quæ ipſi poſt tot labores, cruciatuſque ſupererant, rupiſſe vincula,

quibus jussu Dirces Thebarum reginæ adstringebatur, in Cytheronem montem profugisse. Apollodorus vero dicit, vincula sponte sua ei cecidisse τῶν δεσμῶν αὐτομάτως λυθέντων.

v. 29 Fugiens Antiope ad filios perrexit. Zethus eam abigit, increpatque *Minitabiliter sævis dictis*, ut Pacuvius loquitur versu quodam, quem recitat Nonius. Amphion illacrimavit quidem, nec recepit tamen: neuter enim agnoscebat matrem, quæ lassitudine oppressa in terram labitur.

v. 36 Senex iste pastor ille fuit, sive bubulcus, qui expositos Antiopæ filios servavit, educavitque, ipsisque modo matrem indicavit.

v. 41 Zethus alligat Dircen tauro, & sanguine ejus discerptæ prata tinguntur, per quæ rapiebatur. Amphion interea & spectat, & celebrat cantu ultionem matris suæ e rupe Aracynthi, montis in Bœotia prope mare.

ELEG. XVI, v. 1 Dubitationem Poetæ exprimit hæc Elegia, sitne iturus, nec ne Tibur per noctem, quo eum per epistolam amica vocarat. *Luctantur, pectusque leve in contraria tendunt* hac timor, hac amor: sed vincit amor, pergitque quo jussus erat. Concinne omnia, & eleganter.

v. 3 Et locum in Tibure ipsum indicat, in quo Cynthia diversabatur. Surgebant in eo geminæ turres. Earum culmina Tiburtino marmore candicantia etiam noctu iter facientibus perspici poterant.

v. 12 Licet amantibus tuto per angustas rupes ire, quas obsidebat Sciron, etiamsi adhuc ille viveret. Infestus viatoribus latro, quos coactos sibi pedes abluere, dum curvato corpore proni in opus pendent, ipse pede perculsos præcipites dabat in mare. Interfecit eum Theseus: interfecti latronis ossa obduruisse in rupes fabulantur Poetæ.

ELEG. XVII, v. 7 Sequitur eorum opinionem, qui dixerunt, Ariadnam ipsam a Baccho in cælum vectam, Liberamque fuisse adpellatam. Alii Ariadnæ tantum Coronam in stellas conversam dicunt.

v. 21 *Maternos partus*, Semeles scilicet, *Ætnæo fulmine*, quia percussa illa fulmine abortum ejecit: insertum vero femori Juppiter postea in lucem edidit, exactis mensibus legitimi partus.

v. 24 Funera Penthei, Thebarum Regis, contemtoris sacrorum Liberi Patris *Grata in triplices greges*, triplici scilicet Mænadum choro grata; quarum primum ducebat Ino, alterum Autonoe, tertium Agave. Primæ illæ duæ materteræ Penthei, Agave autem mater, a quibus discerptus misere, laniatusque occubuit.

Digitized by Google

v. 27 Scaligeri probabilior lectio *Beneolenti flumine Naxon*, ut ab illo *Cinget Bassaricas* pendeat sententia. Sed quid sunt Bassaricæ comæ? Flexus, cultusque capillorum is, quo utebatur Bacchus, dum ea veste utebatur, quæ Bassaris dicta fuit ab oppido Lydiæ Bassara, in quo vestes hujusmodi fieri solebant.

v. 37 Ad veterum morem respicit, juxta quem sacrorum antistes, προςάτης, ante templi fores consistens libabat Diis.

v. 40 Dithyrambos in laudem Bacchi se scripturum indicat, imitatum Pindari spiritum,

Dum per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis.

ELEG. XVIII, *v.* 1 Implexum distichon verborum structura sic explico, ubi præmisero, Cumis proximum esse Misenum: Miseno adjacere Bajas, thermis celebres calidarum aquarum: Inde Lucrinum lacum; mox Avernum, brevi interstitio a mari disjunctum. O fumida, inquit, Bajarum stagna non longe dissita ab Averno umbroso ob silvas, quæ eum circumdabant, cujus claustris, quæ eum a mari dirimunt, alludit pontus ad ea usque procedendo, & per quæ ab eodem excluditur.

v. 6 Thebanum Deum, Herculem intellige, non vero Bacchum. Hercules porro in ea regione Campaniæ dicitur Gigantes vicisse, in Phlegræo agro, & ideo coli ab incolis consuevisse cymbalorum sono.

v. 8 Ait, Marcellum obiisse demersum in Bajanis aquis, mali alicujus dæmonis opera. Atqui constat, juvenem hunc, populi Romani delicias, Augustique nepotem, ab Antonio Musa, præcepta frigidarum aquarum lotione, periisse longe a Bajis. Quid ergo? Propertium mentitum fuisse dicemus in re cognita omnibus, atque recenti? Rectissime Josephus Scaliger admonuit, Marcellum a Livia clandestino mortis genese sublatum fuisse, Poetamque hanc mortis caussam finxisse, ne, si veram retulisset, odium sibi impotentis feminæ conciliaret. Ipse enim Augustus obiisse Marcellum dixit in ejus funebri Oratione devotum in Minture monte.

v. 11 Decora Marcelli. Ex genere; fuit enim e gente Claudia: ex virtute, qua omnes longe Romanos superabat: ex matre, Octavia scilicet: ex arctissimo vinculo, quo Juliæ genti, & Augusto ipsi jungebatur, ab Cæsare adoptatus in filium, & Juliæ maritali fœdere sociatus; unde sacra Diique Cæsaris sacra quoque, & Dii Penates Marcelli fiebant.

v. 13 Splendidissimos ludos indicat, quos dedit Romanis Marcellus Ædilis creatus paullo ante extremum sui fatum.

v. 29 Luctus ingens Romæ fuit, idemque publicus, ob immaturam mortem Marcelli. Græcorum item magnus, publicusque fuit luctus ob immissam pestilentiam a Diis, cujus caussam ignorabant, antequam a Calchante edocti essent.

ELEG. XIX, v. 8 Malea, Peloponnesi in Laconia promontorium, navigantibus periculosum. Inde adagium: *Maleam legens, quæ sunt domi, obliviscere.*

v. 17 Non est, cur Passeratius adlaboret in hoc versu explicando. *Nam quid Medeæ referam:* Supple *Crimen* ex anteriore disticho; & omnia plana fient.

v. 26 Scylla, Minoen secuta, ab ipso e puppe suspenditur, & per mare trahitur *Novo ritu*, ut ait in Ciri Virgilius: documentum ingens puellis, ne crimine aliquo virorum amores mercentur.

v. 28 Æquus fuit Minos in hostem Nisum. Ultionem enim de filia proditrice sumsit, eam illo mortis genere puniens, quem indicavimus.

ELEG. XX, v. 4 Lege, *Tanti ne in lucris:* quasi dicat: Etiamsi Africam totam in reditu durus ille habere potuisset, tuque deserenda fuisses; non tanti tamen universæ Africæ opes fuisse apud eum deberent, ut a te lacrimas exprimeret. Sic Tibullus:

Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

v. 8 Memoria teneamus, Hostiæ nomen ei puellæ fuisse, quam sub Cynthiæ nomine celebravit Propertius. Avus ei fuit Hostius, doctrina illustris, qui bellum Histricum versibus complexus est, ex quo opere fragmenta quædam Grammatici veteres servaverunt nobis.

ELEG. XXI, v. 19 Ad hunc, & sequentes versus intelligendos hanc Propertiani itineris rationem habe. Ex Italia navi per Hadriaticum, Ioniumque vectus ad Lecheum portum appellit, in Isthmo ipso Corinthiaco situm, qua Ionium respicit. A Lecheo portu ad Piræum usque quinquaginta ferme sunt passuum millia, quod viæ spatium pedibus percurrere Propertius animo destinabat. Piræus portus duobus millibus passuum longe ab Athenis: sed tamen Urbi huic conjungebatur ope duorum murorum. Hos duos muros *bracbia longa* vocat Propertius, μακρὰ τείχη, & μακρὰ σκέλη Græci. Per hos igitur muros iturus, dicit se *scandere*, quia a Piræo assurgebat continuo via usque ad Athenas in colle sitas.

v. 26 Doctum Epicurum appellat. Talem siquidem eum multi habebant, ii scilicet, qui ejus sectam sequebantur, talemque Poeta ipsum habet, dum in eo est, ut amplexetur ejus sectam. Qui ab Epicuro non erant, indoctum eum, illiteratumque dicebant, cujusmodi Cicero, aliique multi fuerunt. Non est ergo mirandum, cur *Docte Epicure* dixerit, nec sollicitanda lectio, reponendumque cum Broukhusio, *Dux Epicure, tuis*.

ELEG. XXII. v. 3 Dindymi meminit: montis scilicet Cyzicenæ urbi imminentis, a quo ipsa quoque Dindymis fuit appellata. *Inventa* autem *fabricata sacra Cybebæ*, quid sint, non intelligo, nec qua ratione referantur ad Cyzicum. Arctos mons est in Cyzicena regione: in eo antrum, in quo Tauroboli Cybelles sacra faciebant, seque occisi tauri, aut juvencæ sanguine, aliosque expiabant. De hujusmodi Taurobolio, quod non longe a Cyzico in Arcto monte erat, Propertium locutum intelligo.

v. 4 In Propontide quoque juxta Heracleam spelunca ostendebatur, cui nomen Acherusia. Per hanc Ditem patrem Proserpinam, in Sicilia raptam, deductamque in Pontum, secum abduxisse credebant ad Inferos incolæ.

v. 6 Vulpii interpretatio contorta nimis videbitur unicuique paullo attentius Propertium legenti. Quid, si legamus hoc modo:

Nec desiderio, Tulle, movere meo?

Facile factu est, ut pro *Nec* irrepserit *Et*. At si cum negatione legas, apertissima existet sententia, omniaque secum consentient, concinentque.

v. 7 Fabulæ, quas congerit plena manu Poeta, notiores sunt, ita ut immorari in eis longius necesse minime sit. Summa autem huc redit. Licet, o Tulle, tu percurras Mauritaniam omnem, Libyamque, Hispaniæque maritimam oram, & insulas inter eam regionem, Africamque: licet in Asia percurras totum id locorum, quæ Phasis alluit, & ad quæ appulerunt Argonautæ: Lydiam quoque, urbesque in Asia minore celeberrimas quatuor ad Caystrum; aut si pergas usque ad Gangem, qui

. . . . *Septem surgit sedatis amnibus altus*
Per tacitum,

ut Virgilius ait: nihil tamen usquam reperias, quod Romæ, Italiæque præponere possis.

v. 25 Duo lacus sunt, Albanus, Aricinusque eo in loco, quod Nemus dicebatur, ita inter se vicini, ut ab uno, eodem-

que fonte effluxiſſe videantur. Ideo Albani ſocium Nemorenſem dicit.

v. 26 Juturna fons prope Numicum flumen, cujus fontis ſaluberrimam aquam fuiſſe teſtatur Servius in XII Æneid. Ex eo ebibit Cyllarus Pollucis equus, quum Helenæ fratres duo e Macedonia venerunt eodem ipſo die, quo Perſes ab Æmilio victus fuit, rem proſpere geſtam nuntiaturi Romanis. V. Florum lib. 2, cap. 2, Cic. Dionyſ. Halyc. alioſque.

v. 37 Sinis, crudeliſſimus latro in Iſthmo Corinthiaco. Alligabat ad viatorum pedes duarum arborum capita inflexa, eaſdemque ſubito dimittebat: arboribus vero in ſublime renitentibus, miſerum in modum homines diſcerpebantur. Theſeus monſtrum hoc hominis eo ſupplicio affecit, quo ille alios cruciabat. Ne in hanc peſtem inciderent, Græci Iſthmon evitabant; evitabant quoque, ne in Scyronem incurrerent, de quo ſupra. Recte admonuit Vulpius, ἀνακόλουθον hic eſſe, & perturbatam ſyntaxim.

ELEG. XXIII. v. 4 Ceratarum tabellarum ad plures ſcriptiones erat uſus. Obtuſiore enim ſtyli parte area renovabatur, deletiſque verborum figuris, ſuper inducebantur aliæ. Quæ tamen tabellis ſcribebantur, ſigno ſcribentium firmari ſolebant, ut eis fides adhiberetur. Sed Propertianæ illæ adeo Cynthiæ longo uſu erant cognitæ, ut & ſine annulo iis crederetur. Cetera in hac Elegia plana ſatis, & aperta.

ELEG. XXIV, v. 1 Amorem ſpirant pleræque aliæ, hæc vero Elegia indignationem vehementem animi. Mulierem dicit, non nomine proprio compellat, ad contemtum; nec formoſam eam eſſe, ſed formoſam ſibi obcæcato viſam, ut pungat. Factam ſuperbam ait *Oculis meis*. Quo ſenſu? Hoc nempe, niſi fallor: Jamdiu erat, ex quo ſuperbiſti, quia te intuebar, quaſi pulchritudinis eximiam formam aliquam, exemplumque. Illi deceperunt me; tu vero te ipſam.

v. 11 Fucata erat, non ſincera, quæſita, non naturalis vultus tui pulchritudo. Id ego quoque fateor modo; ſed antea, ne tortus quidem, ne ſi mors quidem ipſa propoſita ante oculos fuiſſet, faſſus eſſem verum eſſe, quod ultro ajo, te formoſam non eſſe. Cur? quia perdite amabam te antea: modo non amo.

ELEG. XXV, v. 1 Atqui nihil eſſe videtur, cur hæc continuatio quædam Elegiæ præcedentis non ſit. Pergit enim in eodem argumento, explicatque, quas ob cauſſas recedendum ſibi ſit penitus ab amore Cynthiæ.

v. 10 Senſus eſt: Quamvis limina ipſa domus tuæ illacrima-

rint querelis meis ob immeritas, quas mihi intulisti injurias; numquam tamen eo me abripi dolore, iraque sivi, ut frangerem januam, vique irrumperem.

IN LIBRUM QUARTUM.

ELEG. I, v 1 Concipe animo Propertium ex eminentiore loco hospiti Romanæ Urbis situm, & nobiliora quæque ædificia, ac monumenta indicantem, primumque ejus amplitudinem, eo ambitu definitam, ad quem usque vis oculorum porrigitur. Sed vide Julii Minutoli De Topogr. Urbis Diss. 3, sect. 1.

v. 3 Primum, quod hospiti oculis exhibet conspiciendum, est Apollinis in Palatino monte templum, ab Augusto incredibili magnificentia exædificatum, Aruspicum monitu, tacta fulmine domo sua, in Palatino sita. Nec mirum est, si hoc primum occurrerit intuentibus. In culmine enim templi Phœbi currus erat aureus, qui longe radiis solis, lateque splendebat. Navalem vero dicit Phœbum, ob Actiacam navalem victoriam hujus Dei ope ab Augusto reportatam. De Palatino colle, deque Apollinis templo, aliisque in eo monumentis consulatur Lucius Faunus de Ant. Urb. lib. 2, cap. 23.

v. 8 Propertii ætate Tiberis per Urbem mediam currebat; quin etiam ejus fluminis ripæ ad mare usque continuis ædificiis circumvestitæ fuerunt. Antiquis vero temporibus Romani ex Palatino monte, ubi insederant, potum ad Tiberim agentes boves suos, agebant extra territorii fines. Immane inter antiquam, præsentemque Romam discrimen.

v. 9 Cum admirationis nota scribendus versus,

Quo gradibus domus ista Remi se sustulit!

Instituitur enim comparatio inter veteris Romæ, quam Domum Remi vocat, paupertatem, & novæ magnificentiam. Porro casula quædam e stramentis, culmoque, regia olim fuit Romuli, Remique, sub qua Faustulus pastor eos educavit. Hanc plura post secula ostendebant Romani; peregrini veluti miraculi loco invisebant. D. Hieronymus in ea, quam Didymi Operibus Epistolam præfixit, *Ego*, inquit, *velut postliminio Hierusalem sum reversus, & post Romuli Casam, & ludorum Lupercalia, diversorium Mariæ, & speluncam Salvatoris adspexi.*

v. 10 Post Romuli Casam de Curia calabra loquitur, in quam calabatur, seu vocabatur Senatus e centenis Patribus a Romulo electis, culmis, stipulaque tectam ad radices Palatini montis, quæ casæ Romuli contigua erat.

v. 16 In solennibus, anniversariisque theatralibus ludis odorati imbres e croco exprimebantur latentibus fistulis: exprimebantur, effundebanturque per pulpita, hoc est, per eum in Proscenio editiorem locum, in quo Actores recitabant: λογεῖον Græci dicunt, eratque, Hesychio teste, τῆς σκηνῆς τόπος, ἐφ' ᾧ ὑποκριταὶ λέγουσιν.

v. 19 Anno primo VII Olympiadis XI Kal. Maj., qui dies Pali sacer, Romulus Urbis fundamenta jecit. Ab eo anno Palilia eodem die quotannis celebrari consueverunt, in quibus ritus erat, ut super fœni flammantis acervos salerent. Simplicitatem ritus hujusmodi cum pompa, ac luxu comparat lustrationum, quibus quinto quoque anno civitas expiabatur Caviaribus hostiis, & sanguine equi, cui recidebatur cauda.

v. 21 In Vestalibus sacris asellus coronabatur panibus in honorem conservatæ a Vesta Pudicitiæ, quam Priapus attentaverat: sed frustra, intempestivo asini clamore impeditus, ut Lactantius memorat lib. 1, cap. 21, Div. Inst.

v. 25 Ad æternandam Lupæ, seu Accæ Laurentiæ memoriam, quas habuerunt nutrices, Romulus, Remusque Lupercalia sacra instituerunt, in quibus pellibus caprinis tecti, ac vultum sanguine tincti ludibundi discurrebant sacerdotes, & loris ex corio cæsarum victimarum obvios quosque percutiebant, puellas præcipue, quæ fœcunditatem sibi ex his verberibus sperabant. Remus, quos ipse instituit, Fabianos appellavit sacerdotes, a Fabio eorum præposito: Romulus suos a Quintilio Quintilianos. Sed de Lupercalibus legatur Andreas Cirino de V. R. cap. 25.

v. 29 Vulpius hunc Lucmonem, qui primus prætorium posuit, putat Tarquinium Priscum fuisse, qui, Anco Martio regnante, Romam venit. Locus posset forsitan esse doctissimi viri conjecturæ, nisi Propertius ipse commonefaceret, hunc Lucmonem æqualem Tatii, Romulique fuisse. Tunc enim prætoria prima posuit, quum Tatio inter oves pars maxima rerum esset, & antequam in tres Curias Romanus populus divideretur. Existimemus igitur hunc ex Hetruria Lucmonem auxilio fuisse Romulo in bello contra Sabinos, sive is Lucomedius fuerit, ut nominat idem Propertius Elegia proxima, sive Cœles, aut Cœlius, ut & Varro de L. L.

Digitized by Google

lib. 4, & Sex. Pompejus, & Dion. Halyc. lib. 2 vocant.

v. 33 Adeo exiguum spatium Roma tum occupabat, ut Bovillæ, quæ modo suburbium sunt Romæ, fuerint ipsa urbe ampliores, Gabiique modo deserti, vacuique majorem civium numerum, quam Romana civitas, continerent.

v. 50 *Remo Aventino*: hoc est, ob occisum Remum, qui in Aventino monte auspicatus fuerat eo loco, qui *Remoria* nomen habuit.

v. 70 Ante hunc versum reponendum est distichon, quod in Vulpiana editione legitur, loco minime suo, post vers. 86. Propertii enim est dicere de excidio Trojæ, deque laboribus ab Ænea exantlatis & terra, & mari, quatenus caussæ in his fuerunt & sacrorum, & cognominum locorum, quæ Romani vel instituerunt, vel imposuerunt ad originis suæ memoriam conservandam, & in posteros transmittendam.

v. 71 Hactenus locutus est Propertius. Hinc ex adverso loquitur hospes ille, quem Astronomiæ, Astrologiæque peritum respondentem sibi inducit, admonentemque, ne historica hæc persequatur carmine, unde nullam sit nominis sibi famam acquisiturus. *Vaga* autem *facta* dicit, hoc est, separatim, disjunctim, sineque ordine certo, sine continuata serie canenda; ut in hoc ipso libro exstant exempla.

v. 75 Ut sibi fidem Propertius præstet dicenti, eum, Musis & Apolline invito, hoc opus fore aggressurum, se ait siderum scientia excellere, ex qua futura prædicat. Hujus scientiæ primum argumentum, quod sphæram torquere, ac vertere ita noverit, ut ejus conversiones exacte respondeant conversionibus signorum, siderumque cælestium.

v. 76 Alterum Astronomicæ scientiæ suæ argumentum, quod eam per manus a majoribus veluti traditam acceperit: nomina illustria Mathematicorum, Architæ, Hori, Cononis.

v. 83 Hic vero confusa, & extra locum omnia. Sensus loquentis Hori hic est: Plerique Astrologi pretio corrupti simulant Jovem dominum esse genituræ, ut fausta omnia portendant; adspectumque signorum Zodiaci fingunt sibi, qualis non est nascentibus. Ego vero institutum meorum secutus nihil annuntio, quod non stellæ indicent, sive prosperum id sit, sive funestum. Quomodo autem id probat? Probat horoscoporum duorum fide, ex quibus mortem filiorum Arriæ, & partum Cynaræ prædixit, ut proinde post v. 84 continuo collocandus sit versus 89:

Dixi ego, quum geminos produceret Arria natos &c.

v. 103 Perstringit reliqua divinationis, ac præsagitionis gene-

ra; ex oraculis, inter quæ memorat celebre illud Jovis Ammonis in Libya; ex haruspicina; ex volatu avium; ex magicis sacris: ut, detracta singulis fide, auctoritatem adstruat Astrologiæ, in qua sibi summam ponebat.

v. 107 Consequens fit, ut si nec vatibus, nec haruspicibus, nec auspiciis, nec necromantiæ fides futurorum eventuum constet, petenda ea sit ab inspectione positura cælestium corporum. Post hunc vero versum sequuntur ordine illi,

Felicesque Jovis stellæ, Martisque rapacis,

& proximi quatuor, locum certe non suum in Vulpiana editione occupantes.

v. 109 Ad elevandam auctoritatem haruspicinæ in exemplum adducit Calchantem, cujus auguria fallacia fuerunt magnoque Græcis constitere.

v. 119 Hactenus, inquit Horus, exemplis, factisque artis meæ auctoritatem, peritiamque in ea meam adstruere tibi sategi. Nunc ad plenissimam ejusdem confirmationem, genesim, vitamque tuam tibi pandam. Tu *æquus*, scilicet, sine ulla suspicione, quod velim tibi injuriam creare, adsis *Lacrimis novis*, hoc est, sine, ut ea tibi in memoriam revocem præterita, & futura expromam vitæ tuæ facta, quæ lacrimas tibi elicient.

v. 123 Patria Propertii Ameria fuit in ea Umbriæ parte, quæ Tusciæ adjacet, & Mevania dicta fuit. Ea vero *nebulas exhalat inertes*, præcipue quum *Umber lacus*, quem Vadimonis lacum esse nonnulli volunt, æstivo tempore, & tepescentibus calore Solis ejus aquis, in vapores solvitur, & nebulas spargit. Sed de Propertii patria, deque hoc lacu dissentiunt mirum in modum eruditi.

v. 125 Nimirum Ameria sita erat in colle, urbsque ea lateritiis mœnibus cincta.

v. 130 Assignatos agros intelligit, qui in patrimonio Propertii fuerant, decempedis metatos, sive hoc contigerit Syllanæ dominationis temporibus, sive Perusini belli, quia steterit ab Antonii partibus pater Propertii, qui puer tum erat: quod quidem verosimilius esse videtur.

v. 138 Hostem quum dicit, ne intelligas, Poetam nostrum aversum ab Amoribus contra ipsos pugnasse: hoc enim repugnaret versui præcedenti. Intellige, eum sub Amoris signis militasse, palmasque obtinuisse; utilem proinde operam Cupidinibus navasse: sed hanc sibi gloriam ereptam a Cynthia fuisse, cujus amor reliquos sui amores sepelivit.

v. 150 Non naufragia, non enses, non terræ motus pertimescen-

scen-

Digitized by Google

scendi Propertio, tamquam illi fatales. Quod ergo ei signum sinistra portendit? Cancer, sub quo Cynthia nata. Quum enim, quibus genitale hoc astrum est, avari sint, lucrique cupidiores, avaritia Cynthiæ maxime timenda amatori, cui res parva relicta fuerat.

ELEG. II, v. 2 Quæ sunt *Signa* hæc *paterna*? Notæ scilicet, e quibus me cognoscas, ac primum a patria petitæ, ex qua sum.

v. 6 In Tusco vico signum erat Vertumni, templumque. Tuscus autem vicus ex uno latere Velabrum, ex altero Romanum forum attingebat, ut Faunus docet De U. R. lib. 2, cap. 8: ex quo perspicitur, cur dicat, sibi satis esse, adspicere ex aliqua parte forum.

v. 7 Ad extremam Tusci vici partem, Aventinum versus, Tiberis olim fluebat: sed, verso amnis cursu, planities illa Velabrum dicta.

v. 11 Autumni tempore, Mense Octobri, quo fructus omnes anni jam se vertentis, &, XII signa Zodiaci jam Sole pæne emenso, in se ipsum redeuntis (hoc enim sensu annum Vertentem Censorinus dici nos docet cap. 19 De Die Nat.) Vertumnalia fiebant, & inde Deus Vertumnus dictus.

v. 60 Se, Romulo regnante, inter ipsos Sabini belli tumultus Romam venisse, fictilemque statuam sibi fuisse testatur; Numæ vero relligione, ac pietate ab artifice Mamurio Veturio, quem memorat lib. Antiq. Rom. II Dionysius, aheneum se affabre factum.

ELEG. III, v. 1. Habemus Æliæ Gallæ hic ad Postumum Epistolam, ad quem vidimus Propertii Elegiam. Habemus hic insigne, & absolutum Heroidum Epistolarum exemplum, quod imitatus Ovidius postea fuit, quemadmodum ad Propertii æmulationem Fastorum libros quoque scripsisse videtur. Sed nihil certe imitatione dignius, nihilque elegantius, venustiusque hac Arethusæ litera.

v. 10 Si legamus *Eoo equo*, ustos intelligemus Indos, decoloratosque nimio Solis calore. Si legamus *Eois aquis*, tum vero opinionem veterum quorumdam secutus esse Poeta videbitur, qui ex aquis nigredinem contrahi coloris dixerunt.

v. 15 Dum Rectam Vittam dicit, morem tangit, juxta quem aliæ vittæ erant puellarum, aliæ mulierum. Vittis caput utræque vinciebant; sed tamen eæ erant diversæ. Puellis residebant capiti comæ, nec glomerabantur in vertice; & ideo vittæ quoque jacentes, humilesque. Matronis in suggestum ædificabantur, & ideo elatæ quoque, erectæque vit-

tæ. Non recta ergo Arethusæ capiti data quum fuisset vitta, infaustum omen hoc nuptiarum fuit.

v. 21 Qui primus tubas invenit, & Martia classica, digniorem reputat non inerudita puella eo supplicio, cui addictus Ocnus erat apud Inferos. Spartum nempe ille torquebat, quod arrodebatur ab asino. Hinc σχοῖνον πλέκειν proverbium in eos, qui inutiles, vel noxios labores suscipiunt. De Ocni fabula legas, quæ eruditissimus Mazzonius notat lib. 3 Def. Dant. cap. 40.

v. 34 Vellera Tyrio murice infecta ita radiis duco, ut staminibus subtegmina coalescant, texaturque vestis.

